(2)

DISSERTATIO THEOLOGICO-JURIDICA CANONICO-CIVILIS

Cauſas diſſolvendorum Sponſalium exhibens,

In

Parerga ex univerſo Tractatu de Sacramentis in genere & ſpecie.

REVERENDISSIMO AC AMPLISSIMO DOMINO,

D. BONIFACIO,

Celeberrimæ Abbatiæ Gerodenſis, Ord. S. Bened. ABBATI dignisſimo, Fundi Domino in Biſchofferoda, Holungen, Gietzenbach, VVeiſſenborn, & Lüderoda, &c.

Domino meo Mœcenati perquàm gratioſo

Humillimè oblata, dedicata, conſecrata,

Quam

Præſide

R. P. AMANDO SCHELL,

Confluentino, Ord. S. Bened. ad S. Iacob. Moguntiæ Profeſſo, AA. LL. & Philoſophiæ Doctore, SS. Theologiæ Baccalaureo Biblico & formato, ejuſdem & SS. Canonum Profeſſore

Eruditorum ventilationi ſubmittent in celeberrima Abbatia Gerodenſi Reverendi ac Religioſi Patres & Fratres Ord. S. Bened.

P. Auguſtinus Streicher,
F. Maurus Germershauſen,
F. Bonifacius Fölmer,
Profeſſi Gerodenſes

P. Bernardus Knehem
Celeberrimarum Abbatiarum Huysburgenſis & Mindenſis Profeſſus.

Die   Menſis   Anno M. DCC. VIII.

Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30543538

Reverendiſſime ac Ampliſſime
PRÆSUL,
Domine Gratioſe.

CUnctandum nec deliberandum diu fuit Reverendiſſime ac Ampliſſime Præſul, Domine Gratioſe, *quem diſſertationi meæ primitùs lucem auſuræ Patronum quærerem, cùm illa* Te *auſpice cœperit*, Te *adjuvante profecerit*, Tuis ſub magnificis auſpiciis *jam lucem & Ducem nacta, quid niſi Eucariſticon ſonet?* Tu *etenim non tantùm ſpe lactaſti, ſed & reipsâ confirmaſti laborem meum, ut modò* glorioſæ Fronti Tuæ *tot debeantur laureatæ Frontes, quot* Diſſertationis *apices cernis: tanta enim eſt in* Te *muneris infulati dignitas, tanta directricis prudentiæ vigilantia, tam efficax in Rempublicam litterariam benevolentia, ut dum es liberalium Artium optimus fautor, bonarum diſciplinarum liberaliſſimus Mæcenas habearis, & quas in* Te *ſcientias veluti domeſticas cumulatiſſimè complecteris, eaſdem in aliis quoque videre delecteris inquilinas. Et quia legebatur jampridem in* Fronte Tua *utpote ſpatioſâ magnarum capace curarum, religioſæ magnanimitatis character ſcripſit is in animis adverſariorum timorem, amorem in amicorum cordibus, & dum omnes obſervant in* Superciliis Tuis *ſagittarios divini amoris arcus, & fraternæ dilectionis irides: quis non veridicè ac feliciori prognoſtico Paternum tuum in ſubditos amorem, & filialem tuorum erga* Te *confidentiam inviolatè perennaturam augurabitur? ac ſinguli, qui effulgentem binis in oculorum ſideribus perſpicacis prudentiæ ac ſapientiæ fulgorem ſuſpiciunt, nihil niſi conſtantem* Gerodenſi ſolo *fortunæ blandioris favorem prævident, ut in nuce complectar iliadem, in toto vultûs ac corporis habitu genuinam quique ad mi-*

admirantur incontaminatæ vitæ imaginem, perfectionis ideam, virtutis omnis epitomen. Mirum proinde non eſt, tracta tot virtutum illiciis & cœli fata & Capituli Gerodenſis *meliora vota in Tui conſpiraſſe electionem, ut ſicut quondam cum notabiliori diſciplina ſacratioris reiq́ domeſtica, ac tuendorum jurium emolumento celebris Abbatiæ Zellenſis meritiſſimum Præpoſitum 25. annis egiſti, ita & digniſſimum* Abbatem Gerodenſem *ageres. Hanc dum Diſſertationem Theologico-Juridicam, Canonico-Civilem offero illa ſimul ſupplicabunda Tuam potentem implorat tutelam, ac mihi interim calidiſſimis liceat ingeminare votis, ut ſupremus rerum Arbiter* Te Bonifacium optimum Abbatem *ad Amaltææ invidiam innumeris ditet fortunæ incrementis, &* virtutum tuarum *decora Gerodenſes in ſeros ac Neſtorios annos illuſtrent, non enim* Tibi *uni natus, ſed omnibus omnia, ut enim proſis, praes. Vive diu, ac propitio mihi ſemper ſidere affulge, donec tandem ſerò ſuper ſidera poſt auctam plurimis glorioſæ famæ incrementis* Tui Nominis *immortalitatem, beatiſſimam æternitatem auſpiceris. Ita animitùs precatur & optat*

Reverendiſſimæ, Ampliſſimæ,
ac Gratioſæ Dominationis Tuæ

Servus infimus
P. Amandus Schell.

DISSER-

DISSERTATIONIS THEOLOGICO-IURIDICÆ CANONICO-CIVILIS,

Contentum ſummaricum.

QUamvis Sponſalia legitimè inita præambula ac via ſint ad indiſſolubile matrimonii vinculum, pactionis tamen & contractûs humani limites non egrediuntur, & ut contractus cæteri, ita & ipſa diſſolvi poſſunt, neque id ſolùm morte naturali, quæ ſicut eſt omnium rerum fatum ac finis, ſic quoque eſt peremptorius terminus ſponſalitiæ obligationis, & ipſius vinculi matrimonialis ſolutio, *Novella 23. cap. 20.* ſed & ſuperſtite utroque deſponſatorum, idque ex multis cauſis, quas aliqui cum Gobat *Experient. Theolog. tract. 10. n. 146.* revocant ad 7. alii ad 10. alii ad 12 alii ad 17. ut Angelus & Sylveſter *Verb. Sponſalia quæſt. 10.* nos totam diſſertationem noſtram in 18 articulos partiemur. In *primo* aſſignabimus cauſam ipſo jure diſſolventem ſponſalia, ſcil. mutuum conſenſum. In 2. ætatem. In 3. conditionem appoſitam, non adimpletam In 4. matrimonium ſubſecutum In 5. ingreſſum religionis. In 6. ordinem ſacrum. In 7. votum caſtitatis ſeu cœlibatûs. In 8. diſpenſationem. In 9. impedimentum ſuperveniens. In 10. errorem & ignorantiam. In 11. lapſum termini ſeu diei conventionalis In 12. diſparitatem contrahentium. In 13. notabilem mutationem ſupervenientem, puta fornicationem, &c In 14. abſentiam. In 15. mutationem factam ex parte animi. In 16 mutationem factam ex parte corporis. In 17. mutationem factam ex parte fortunæ. In 18. demum reſolvemus, quâ authoritate ſponſalia diſſolvantur.

ARTICULUS PRIMUS.

De diſſolutione ſponſalium, quæ oriri poteſt ex mutuo conſenſu.

QUæres 1. An per ſe loquendo *licitè & validè* dirimi poſſint ſponſalia mutuo conſenſu, vel potiùs diſſenſu? *Reſpondeo affirmativè* cum communi DD. *per c. præterea 2. de ſponſal.* licet etiam nulla alia cauſa intervenerit. *Ratio eſt*: tùm quia *omnis res*

 per

per quaſcunque cauſas naſcitur, per eaſdem & diſſolvitur, c. 1. de R. I. in 6. atqui ſponſalia naſcuntur mutuo contrahentium conſenſu: ergò eodem diſſolvi poſſunt. Tùm *quia nihil tam naturale eſt, quam eo genere quidve diſſolvi, quo colligatum eſt per L. nihil 35. ff. de R. I. & obligationes, quæ conſenſu contrahuntur, contrariâ voluntate diſſolvuntur. §. ult. inſtit. quib. mod. toll. oblig.* Et in hoc ſponſalia conveniunt cum aliis contractibus, qui ex ſua natura & inſtitutione divina non ſunt indiſſolubiles; imò ſponſalibus ſicut & aliis promiſſionibus tacita ineſt conditio, niſi illa poſtea remiſſa fuerint, jus autem quæſitum remittere licet, & *omnes licentiam habent, his, quæ pro ſe introducta ſunt, renunciare. L. pen. C. de pactis.*

2. *Quær.* 2. An ſponſi etiam à ſponſalibus juratis mutuo conſenſu licitè absque ſpeciali cauſa reſilire poſſint? *Reſpond. affirmat.* cum noſtro Doct. König *ad tit. de ſponſal. & matr. n.* 60. noſt. D. Engel *ad eund. tit. § 3. n. 2.* & noſt. Panormit. *ad c. præterea cit. n. 2. & in idem c.* Gonzalez *n. 7.* Felin *in c. I de jurejurando in 6.* & Barboſa *in c. 1. cit. n. 2.* Diana *p. 9. tract. 7. reſolut. ult.* & alii plerique SS. Canon Doctores. *Ratio eſt:* tùm quia juramentum promiſſorium ſequitur naturam & conditiones actûs, cui apponitur *arg. c. quemadmodum 25. de jurejurando & L. fin. Cod. de non numerat. pecun.* ac in tali juramento juxta DD. *cit.* ſubintelligitur hæc conditio, *niſi ſponté remiſerit promiſſarius*; ſicut igitur contractus ſponſalitius eſt actus ſuâ naturâ revocabilis: ita & juramentum illi appoſitum.

3. *Quær.* 3. Quid juris? ſi quis ob honorem Dei Bertæ v. g. juramento promiſiſſet matrimonium, an adhuc ſponſalia jurata mutuo conſenſu remitti poſſunt? *Reſpond. affirmat. Ratio eſt:* Tùm quia Deus hujusmodi juramentum non acceptat niſi in utilitatem illius, cui promiſſum eſt matrimonium, ſcilicet Bertæ: quæ cùm poſſit promiſſionem acceptare vel non, etiam poterit acceptatam remittere, præſertim cùm illud juramentum reſpiciat merum & mutuum favorem partium, cui renunciare cuilibet licet. Tum quia promiſſioni etiam juratæ tacita ineſt conditio: *ſi is, in cujus favorem præſtitum eſt juramentum, voluerit illud ſervari, vel niſi is matrimonium reſpuat, aut ejus promiſſionem acceptatam remittat,* Zabarell. *in c. præterea cit. n. 4.* Brunell. *de ſponſal. concluſ. 9. n. 2.* Covarruvias *in Epitom. lib. 4. decret. p. 1. c. 5. n. 1.* Pirhing *ad tit. de ſponſal. & matr. n. 40.* noſt. D. Engel ad *eund. tit. § 3. n. 2.* Gobat *Experientiarum Theologicarum tract. X. n. 254.* & noſter D. König ad *tit. de ſponſal. & matr. §. 10. n. 60.* qui ibidem addit, idem dicendum eſſe in caſu, quo etiam juramentum principaliter in Deum relatum eſt, & matrimonium intuitu pietatis perſonæ pauperi aut periculo continentiæ expoſitæ promiſſum eſt. Ejuſdem mentis etiam eſt Tamburinus *lib. 8. de matr. tract. 3. de ſponſal. c. 5. n. 1.*

4. *Dices* 1. Jure non fit, quod à jure tantùm toleratur propter periculum majoris mali: atqui diſſolutio ſponſalium mutuo conſenſu non fit de jure, ſed tantùm toleratur, *ne deterius inde contingat*, inquit Papa *c. præterea 2. de ſponſal.* jubetque tales

eſſe

eſſe commonendos, & modis omnibus inducendos ut præſtitam fidem ſervent, & ſi perſuaderi nequeant ſolùm propter metum majoris mali in patientia tolerari poſſe, ut præſtitam fidem non obſervent: ergò non ipſo jure talis diſſolutio competit, ut docet Gloſſa *in c. præterea tit. V. tolerari.* Joan. Andr. & alii Reſp. 1. Nego minor. Talis enim diſſolutio non procedit ex tolerantia & diſpenſatione Eccleſiæ, ſed ex ipſis principiis juris, ſecundùm quæ *nihil tam naturale eſt, quam eo genere quidve diſſolvi, quo colligatum eſt, ideò verborum obligatio verbis tollitur, L. nihil 35 ff. de R. I. c. 1. eod. tit.* Quod autem contrarium in matrimonio reperiatur, ideò eſt, quia licet quidem à contractu incipiat, tamen elevatur ad eſſe Sacramenti, hinc contrariâ voluntate diſſolvi non poteſt Brunellus *de ſponſal. concl. 9. n. 2.* Navarrus *in Manual cap. 22. n. 13.* Gonzalez *ad tit.* de ſponſal. & matr. *n. 7.*

Reſp. 2. cum noſt D. König ad *tit. de ſponſal. & matr. n. 59.* S. Pontificem ſe fundare in particularibus circumſtantiis, aut validâ præſumptione, quod non uterque contrahentium libero & ſimultaneo conſenſu à ſponſalibus recedat, ſed ut plerumque accidit, unus tantùm pœniteat, & fidem datam ac juratam retractare conetur, alter verò non abſolutè & liberè, ſed in conſequentiam, eò quod nolit pœnitentem urgere, ac cum invito matrimonium contrahere, in diſſolutionem conſentiat. *Vel demum dic* ſponſos monendos eſſe, ne ſine rationabili cauſa, puta ex mera animi levitate, vel ex ſubita ira, & aliâ animi paſſione ſponſalibus renuncient, talem enim diſſolutionem non excuſat à culpa Perez *diſp. 9. de matr. ſect. 1. n. 5.* Gobat *Experient. Theolog tract. 10. n. 248* quô proinde caſu diſſolutio tanquam malum ex duobus minus, & poſt monitionem de fide ſibi mutuò ſervandâ eſt permittenda. P. Wieſtner *ad tit de ſponſal. & matr. n. 94.* 5.

Dices 2. Quoties juramentum ſervari poteſt ſine diſpendio ſalutis æternæ, ſervandum eſt, *arg. c. debitor. 6. de jurejurando*: atqui hîc nullum eſt diſpendium: ergò ſervandum eſt, & non mutuo conſenſu reſilire licet. Reſp. *Diſting. mai.* Si obligatio juramenti duret *conc.* ſecùs *n. mai.* & ſimiliter conc. min. & diſtinc conſequente *Neg.* conſequentiam. Jam ſuprà oſtendimus per diſſenſum ceſſare juramenti obligationem. 6.

Dices 5. Eſto quod juramentum in favorem partis præſtitum ſit, ad Deum tamen ipſius religio & obligatio principaliter refertur per *c. debitores 6. de jurejur.* ubi dicitur, *cogendi ſunt Domino reddere juramenta*: ergò ſi juramentum principaliter in Deum refertur, impleri debet, licèt à partibus ejus obligatio remittatur. Reſp. *Neg.* anteced. quia tale juramentum non ordinatur principaliter in Dei honorem, ſed in utilitatem partis & bonum contrahentium, & Deus illud non acceptat niſi in commodum hominis, proinde homine remittente etiam Deus remittit, Gonzalez *ad tit. de ſponſal & matr. n. 8.* 7.

Quær. 4. An liceat quoque reſilire mutuo conſenſu à ſponſalibus initis ſub 8.

jura-

juramento execratorio, puta ſi Titius *v.g.* Bertæ juraſſet hoc vel ſimili modo, *terrà me abſorbeat, ſi te non duxero*: & econtra rurſus Berta juraſſet, *nulla mihi ſit hæreditas in cœlis, ſi tibi non nupſero.* *Reſp. affirmat.* Et poteſt Titium poſt aliquod tempus pœnitere talis juramenti facti, & petere relaxationem ſponſalium à Berta, quam illa ſalvâ etiam conſcientiâ concedere poteſt, eò quod tale quoque juramentum innitatur promiſſioni & contractui ſuâ naturâ ſemper ſolubili & remiſſibili.

9. *Quæres* 5. An diſſolutio ſponſalium ſive juratorum, ſive ſimplicium ex mutuo conſenſu debeat fieri liberè, id eſt, ſine metu injuſtè incuſſo? *Reſp. affirmat.* aliàs non valeret, cùm ſit ſpecies quædam donationis, quæ liberè & ſine metu fieri debet, Layman *lib.5.tract.10.p.1.c.2.* Gobat *Experient. Theolog. tract.10.n.258.*

10. *Quæres* 6. An illi juratò cenſentur promittere ſponſalia qui præciſè dicunt, *ſub fide mea promitto tibi matrimonium.* *Reſp. Negat.* cum Menochio *Conſil.788.n.5.* Cajetano 2.2.*q.89.art.6.* Gobat *Exper. Theol. tract.10.n.257.* hæc quippe loquendi formula communiter non indicat voluntatem jurandi.

11. *Quæres* 7. An ſi Berta v.g. petat diſſolutionem ſponſalium abſque legitimâ causâ à Titio ſponſo, v.g. Titius poſſit conditionatè remittere dicendo: ſi mihi tantam ſummam pecuniæ ſolvas? *Reſp. affirmat.* cum Gobat *Experient. Theol. tract.10.n.265.& 266.* contrarium autem aſſerit *eodem tract.n.267.* ſi alteri ſponſorum ſuppetat juſta & legitima cauſa recedendi à ſponſalibus, quia neuter poteſt aliquid exigere pro conſenſu in illum receſſum, ſicut *enim ſuæ rei emptio non valet per L. ſuæ 16.ff. de contrah. empt.* ita neque juſta eſt pactio pecuniaria de uſu proprii corporis.

12. *Dices*, talis transactio eſſet ſimoniaca. *Reſpond. Neg.* hoc, *probas*, eſſet ſuper re ſacrâ, nimirùm ſuper jure ad matrimonium, quod eſt res ſacra; hinc Gloſſa *in c. ex parte* 11. *de tranſact.* communiter recepta ait: in matrimonio non habet tranſactio locum. *Diſtinguo*, ſi formaliter intenderetur tranſactio ſuper jure matrimonii tanquam Sacramento, *Conc.* ſecus *Neg.* nemo autem intendit hanc formalitatem, ſed ſolam rationem contractûs & vinculi, quæ abſtrahit à ratione Sacramenti, & nondum quid tale eſt: ſic calix conſecratus conſiderari poteſt ſine conſecratione, & vendi non ut conſecratus, ſed ut aureus, argenteus, &c. Verùm tamen in matrimoniis tranſactionem non ſubſiſtere, ſi matrimonium jam contractum ſit: ita Gloſſa & noſter Panormitanus *in c. ex parte* 11. *cit. n.8.* Gobat *Experient. Theol. n* 270.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Diſſolutione ſponſalium, quæ provenire poteſt ex ætate.

13. QVæres 1. An ætas ſubminiſtret jus vera ſponſalia diſſolvendi? *Reſp. affirmat.* & modum hujus diſſolutionis Alexander III. præſcribit in *c. de illis* 7. *de ſponſal. impuber.* ſequentibus verbis: De illis, *qui infra annos aptos matrimoniis ſponſalia*

lia contrahunt, ſive uterque, ſive alter reclamet antequam ad annos matrimoniis aptos pervenerint, & poſtulant ſeparari, non ſunt ullatenus audiendi, ſi verò tunc alteruter iſtorum, cùm ad annos pubertatis pervenerit, reclamaverit, nec in alterutrum voluerit conſentire, judicio Eccleſiæ poterunt ab invicem ſeparari.

Quæres 2. An ſponſalia contracta ab illis, qui jam ſeptimum annum ætatis compleverunt, poſſint mutuo conſenſu vel diſſenſu diſſolvi? *Reſp. Negat. ante adeptos annos pubertatis*, poſt quos nihilominùs per diſſenſum unius, vel amborum, judicio Eccleſiæ diſſolvi poſſunt, per *c. de illis 7. de deſponſat. impuber.* Ideò autem impuberibus denegatur facultas diſſolvendi ſponſalia, ne ob fragile & lubricum illorum judicium ſæpiùs ſponſalia contrahant, & à contractis ſæpiùs reſiliant: Impuberes enim nec conſentire, nec diſſentire, nec quæquam ſcire, aut intelligere creduntur, *L. ultima ff. de Jur. & Fact. ignorant. L. qui juraſſe 26. ff. de jureiur. L. 3. vers. proinde ff. ad Maced.* & alibi. Similiter ob fragile judicium in contractu ſponſalium habitum ipſis poſt pubertatem permittitur, ut reſilire poſſint, ſi velint, Sanchez *lib. 1. de ſponſal. diſp. 51. n. 19* adeòque & ut hæc facultas etiam competat illi, qui priùs ad pubertatem pervenerit, nec is tenetur alium exſpectare, ſed ſtatim poteſt reſilire, imò & tenetur, ſi nolit ſponſalia probare, alioquin poſtea non audietur. Gonzalez in *c. A nobis 8. de deſponſat. impuber n. 1.* 14.

Quæres 3. An non ſaltem impuberes poſſint reſilire à ſponſalibus ab iſtorum parentibus pro ſe contractis? *Reſp. Negat* Si fuerint valida illa ſponſalia, ſecùs autem ſi fuerint invalida. Joan. Andr. *in c. de illis de deſponſat. impuber. n. 4.* ubi & Anchar. *n. 4.* Sanchez *lib. 1. de ſponſal. diſp. 51. n. 12.* 15.

Quæres 4. Intra quod tempus debent impuberes facti puberes reclamare, ne videantur *tacitè* vel *expreſſè* ſponſalibus in impubertate initis conſentire? *Reſp.* ſtatim id fieri debet, ſtatim autem intelligitur *triduo* ante vel poſt pubertatem. Hoſtienſ. Joan. Andr. Ancharan. Sanchez ex his *lib. 1. de ſponſal. diſp. 51. n. 14.* In jure enim dicitur in continenti aliquid fieri, quod intra triduum fit, per *L. fin. C. de errore Advocat. & L. fin. C. de Iudiciis.* Baldus *ibi*, & Felin. in *c. Veniens 2. de teſtibus, n. 15.* & alii docentes in continenti probari, quod intra triduum probatur. Hinc vides non eſſe opus, ut impubes factus pubes ſponſalia ratificet, ſed eo ipſo, quod non reclamet, manent indiſſolubilia, quia juxta *c. de illis 7. de deſponſat. impub. ſi cùm ad annos matrimoniis aptos ſive pubertatis pervenerint, reclamaverint, ſeparentur*: ergo ad diſſolutionem reclamatio requiritur. Si itaque illa non fit, à contrario ſenſu ſponſalia in ſuo eſſe manent, ac ratificantur. 16.

Quæres 5. Quid ſi impubes ante pubertatem reſiliat à ſponſalibus, & reſiliens non mutet voluntatem ſponſalibus diſſentientem, nec is ultra recordetur facti diſſenſûs, an ſolvantur hoc caſu? *Reſpondet affirmativè* Sanchez *lib. 1. de ſponſal. diſp. 51. n. 16.* aitq; hujus ſententiæ eſſe Hoſtienſ. Anton. Alex. de Nevo. præpoſitum. Ratio illorum eſt: 17.

B quia

quia ideò ratificantur & firma fiunt ſponſalia, ſi impubes attingens pubertatem non reclamet; & hâc de causâ & eo ipſo, quia non reclamat, videtur in voluntate priore perſiſtere, & *expreſſè* vel *tacitè* in contractum ſponſalium à ſe in impubertate initorum conſentire: ergò & quando impubes diſſentit, & non ampliùs mutat voluntatem, jam non in priori diſſenſu videtur perſiſtere, conſequenter nec inducetur tacitus conſenſus, ſed in diſſenſu videbitur perſeverare.

Dices 1. Talis diſſenſus ante pubertatem non fuit ſufficiens, cùm fuerit ante pubertatem factus: ergò cùm pubes factus non reclamaverit, jam videntur priora ſponſalia omninò firma manere. *Reſp.* Verum eſſe ſponſalia in impubertate inita non diſſolvi *præcisè* per diſſenſum habitum in impubertate, benè tamen per diſſenſum *continuatum & moraliter perſeverantem* in puncto pubertatis, in quo diſſenſu perſeveravit attactis jam annis pubertatis

Dices 2. Ergò vanum & inutile eſt dicere non poſſe reſilire ante pubertatem. *Reſp. Nego illatum.* Quia ſi ante pubertatem diſſolverentur, poſſent tunc alia validè contrahi & poſt diſſenſum illum oporteret denuò illa contrahere, ut ſponſalia priſtina eſſent valida, cùm tamen adhuc exiſtente diſſenſu ante pubertatem ſponſalia firma ſint, ſi alia contraherentur, eſſent irrita, & ſatis eſt, mutare voluntatem perſeverando in priori conſenſu, ut veniente pubertate omninò firma & indiſſolubilia maneant.

18. *Quæres* 6. An ſit locus diſſolutioni ſponſalium initorum, ſi ſponſa ſit adultioris ætatis, quam ſponſus putaverat; v. g. Titius nobilis ſponſalia iniviſſet cum Berta, v. g. etiam nobili, Titius vult reſilire à contractu ſponſalium, eò quòd Berta ſit provectioris ætatis, quàm ipſe putaverat. Quæritur an de jure reſilire poſſit? *Reſp. ſub diſtinctione*, & dico poſſe legitimè diſſolutionem apud judicem Eccleſiaſticum urgere, ſi Berta exceſſit annos, quibus mulieres adhuc ſunt idoneæ concipiendis liberis, annum ætatis 50. ſtatuit Ariſtoteles; Albertus verò Magnus 40. vel 45. apud Tiraquell. in *L. Connub. L. 6. gl. 1. p. 6.* ſi autem non exceſſit tales annos, fruſtrà allegatur error in ætate, licet eſſet 10. vel 12. annis adultior Titio, utique is id ignoraſſe non cenſetur, multò minùs ſi 4. vel 5. tantùm annis adultior eſſet, ita Gobat *exper. theol. tract. X. n. 344.*

19. *Quæres* 7. An pubes contrahens ſponſalia cum impubere, poſſit pubes reſilire ante, vel poſtquam impubes attigit pubertatem? *Reſp. Negat.* idque favore pupilli, arg. L. *Julianus* 13. §. *ſi quis à pupillo ff. de act. empt. princip. inſtit. de auth. tutor.*

20. *Quæres* 8. An major ſeptennio contrahens cum infante poſſit reſilire? *Reſp. Negat.* cum Sanche *lib. 1. de ſponſal. diſp. 51. n. 11.* donec infans ſeptennium attigerit, & tunc infante volente tenetur promiſſis ſtare.

ARTI-

ARTICULUS TERTIUS.

De Diſſolutione ſponſalium, quæ fieri poteſt ex defectu conditionis non adimpletæ.

QUæres 1. An conditio non purificata præbeat jus non ſtandi contractui ſponſalium? *Reſpond. affirmat.* cum D. Thoma *q.* 43. *art.* 1. Gobat *exper. theol. tract.* 10. *n.* 271. præſertim tunc, quando neuter fuit in cauſa, cur non impleretur conditio, & ſic uterque ſit liber ſuâ ſponſione, v. g. ſi ſponſalia ſint inita ſub conditione, *ſi parentes conſenſerint*: ſponſalium conditionata obligatio perit, ſi parentes diſſentiant. 21.

Quæres 2. An ſi alteruter ex ſponſis impediat, quo minùs impleatur conditio, teneatur impediens, illâ etiam non impletâ ſervare fidem? *Reſp. affirmat.* per *Reg.* 161. *ff. de reg. jur.* jure non ſolùm civili, ſed etiam divino & naturali receptam, in qua dicitur: *In jure civili receptum eſt, quoties per eum, cujus intereſt, conditionem non impelri, fit, quò minùs conditio impleatur, perinde habetur, ac ſi impleta conditio fuiſſet*: puta reſpectu impedientis impletionem. Adde & *regulam* 121. in qua ſtatuitur, *qui non facit, quod facere debet: videtur facere adverſus ea, quia non facit.* Altera tamen pars non impediens manet libera, donec impleatur. Imò quia conatus impediendi eſt quædam renuntiatio, ac fractio fidei datæ & acceptatæ, ideò meritò poteſt alter dicere: *Fruſtrà quis ſibi fidem poſtulat ab eo ſervari, cui fidem à ſe præſtitam ſervare recuſat per c. Fuſtra* 75. *de R. i. in* 6. 22.

Quæres 3. An impletâ conditione in ſponſalibus appoſitâ illa ſtatim transeant in pura & abſoluta, absque novo conſenſu? *Reſp. affirmat.* cum communi Doctorum. 23.

Quæres 4. An contractus ſponſalitius ſub conditione initus habeat vim impediendi valorem aliorum ſponſalium ſub conditione poſtea initorum cum alia ſponſa? *Reſp. affirmat.* Quando conditio hujus poſterioris contractûs ſponſalitii non impletur, aut quando impletur poſt impletionem conditionis prioris contractûs, eſt communis DD. Imò ſi utrorumque ſponſalium conditio ſimul impleatur, valent alterutra & quidem priora. 24.

Quæres 5. An ſi poſt ſponſalia contracta ſub conditione honeſta Titius v. g. ſponſus cognoſcat carnaliter ſponſam ante impletam illam conditionem, per talem copulam ſponſalia conditionata fiant pura & abſoluta? *Reſp. affirmat.* cum Menochio *lib.* 3. *præſumpt.* 1. *n.* 80. Gobat *exper. theol. tract.* 10. *n.* 276 contra Sanchez *lib.* 1. *diſp.* 26. *n.* 12. Ratio eſt: Quia eſt incredibile mulierem vel puellam uſum ſui corporis conceſſuram, niſi ſub ſpe abſoluta & determinata futuri matrimonii, nec vir copulam ab illa exigeret, niſi ſub illa ſpe, illam nimirùm in ſponſam de futuro abſolutè ſumendo. Huic quoque ſententiæ ſuffragatur teſte Gobato *loc. cit.* ſtylus Curiæ Conſtantienſis, Auguſtanæ atque Ratisbonenſis Imò Menochius *loc. cit.* aſſerit illam eſſe præſumptionem Juris & de Jure. 25.

ARTI-

ARTICULUS QUARTUS.

De Diſſolutione ſponſalium, quæ fieri poteſt ex matrimonio ſubſecuto, vel ſponſalibus poſterioribus.

26. QUæres 1. An ſponſalia ipſo jure ſolvantur tam jurata, quàm ſimplicia per matrimonium cum alia actu validè, quamvis injuſtè contractum? *Reſp. affirmat.* cum noſtr. Clariſs. Doct. Mezger *in ſua Theol. Scholaſt. Benedictina Salisburg. diſp. 52. art. 4. n. 2.* & Zoëſio *ad tit. de ſponſal.* Ratio eſt: Tum quia ita ſtatuitur *c. ſicut 22. & c. ſi inter 31. de ſponſal. c. 1. de ſponſa duorum.* Tum quia licèt taliter contrahens graviter peccet contra fidem datam alteri; nihilominùs cùm duo vincula inter ſe incompatibilia concurrunt, illud tenet, quod fortius eſt ſi utrumque nequeat ſervari nullâ habitâ ratione prioritatis alterius, per *L. Quoties 15. C. de rei vindic.* ſed hîc fortius eſt vinculum matrimonii rati, & traditio de præſenti, quàm ſponſalium, quæ eſt ſola traditio promiſſionis: ergò. Tum quia matrimonium ponit *jus in re*, quod eſt potius *iure ad rem*, quale ex ſponſalium contractu oritur: & ſicut de jure civili re duobus venditâ præfertur is, cui inſuper tradita *L. Quoties cit.* ita & hîc, debet tamen matrimonium cum alia eſſe validè contractum, alioquin ex quocunque capite invalidum fuerit, nullam habebit vim ad priora ſponſalia, ex parte contravenientis dirimenda: cùm non præſtet impedimentum, quod de jure non ſortitur effectum. *Regula Non præſtat 52. de reg. iur. in 6.* Interim ſponſa prior derelicta ſponſum cum alia ſponſa nuptias contrahentem ad intereſſe & compenſationem ob violatam fidem utique convenire poterit: nam fœminæ plerùmque difficilùs nubunt, ſi jam ſemel cum alio ſponſalia & ita nimiam familiaritatem habuerint

27. *Quæres 2.* An cenſeatur matrimonium invalidè contractum, ſi contra expreſſam Epiſcopi vel Eccleſiæ prohibitionem contractum ſit, eò quod ſtandum eſſet prioribus ſponſalibus? *Reſpond. Negat.* cum noſtro D. Engel ad *tit. de ſponſal. & matr. §. 3. n. 4.* Verum tamen eſt aliquando etiam matrimonium pendente lite cum tertia perſona contractum nullum reddi, ſi nimirum à ſummo Pontifice tale decretum impetratum fuerit, quo matrimonium pendente lite non tantùm prohibeatur, ſed etiam invalidetur: ſummus autem Pontifex ex certis cauſis quandoque contractum matrimonialem invalidare poteſt. Epiſcopus autem tale decretum dare non poteſt, niſi id haberet ex ſpeciali privilegio, vel antiquâ conſuetudine; cùm Epiſcopus non ſit ſupra jus: hinc non poteſt abrogare textus juris canonici, in quibus ſtatuitur matrimonium pendente lite cum tertio contractum validum eſſe: ſimiliter matrimonium contra interdictum Eccleſiæ, vel Judicis factum ſeu contractum propter hoc ſolum non dirimitur, licèt imponenda ſit pœnitentia taliter contrahentibus, per *c. 1. & 2. de matr. contract. contra interdictum Eccleſiæ.*

Dices

Dices 2. *Accepiſti* 2. *de ſpon'al. duorum* ſtatuitur, quid ſit circa hæc juris his verbis; *accepiſti illam uxorem, quam alter ſibi deſponſavit, dimitte illam, quia nunquam poteſt tibi illa fieri legitima*: atqui hoc dici non poſſet, niſi matrimonium in præjudicium ſponſalium contractum eſſet invalidum: ergò, &c. *Reſpond.* textum in majori poſitum *tantùm* loqui de illo caſu, quo prima ſponſalia, ſuper quibus lis pendebat, non erant de futuro, ſed de præſenti, adeoque verum matrimonium: Sponſalia autem de præſenti non diſſolvuntur per alia ſponſalia de præſenti, ut eſt communis Doct.

Quæres 3. Utrum per ſubſequens matrimonium validum omninò extinguatur obligatio priorum ſponſalium: an verò ſolùm ſuſpendatur, ita, ut ſi uxor, cum qua contra fidem priorum ſponſalium, matrimonium contraxit, Titius v. g. moriatur ante primam ſponſam, vel ſecunda ſponſa de præſenti ducta in uxorem poſt matrimonium ratum tantùm ingrederetur religionem, nec aliud novum impedimentum ſuperveniret, an inquam Titius adhuc obligatus ſit primam ſponſam vi priorum initorum ſponſalium ducere, ſi illa velit? *Reſp. affirmat.* cum noſt. DD. König ad *tit. de ſponſal. & matr. n.* 62. Jacobo Wex *de ſponſal. p.* 1. §. 2. *n.* 13. Ferdinando de Caſtropal. *diſp.* 1. *de ſponſal. punct.* 21. Zoës ad *tit. de ſponſal. n.* 34. Baſilio Pontio *lib.* 12. *c.* 16. Ratio eſt: Tùm quia priorum ſponſalium obligatio durante cum aliâ matrimonio tantùm ſuſpenditur, conſequenter illius efficacia matrimonio ſoluto redit, eò quod jam tempore ſponſalium alteri acquiſitum ſit jus exſpectandi illud tempus pro impletione ſponſalium, quo ab altera parte moraliter loquendo impleri poteſt: nec in illius arbitrio ac poteſtate eſt, qui fidem fregit, injuſto ſuo facto ab obligatione ſe eximere. Tùm quia licet ex *L. Quoties* 15. *Cod. de rei vindicat.* res ſecundo vendita non poſſit primo tradi, non tamen eo ipſo eſt liberatus venditor ab obligatione, quâ primo tenetur, adeò ut ſi rem poſtea conſequatur, cogi poſſit, ut eandem primo tradat, niſi eidem ante ſatisfactum ſit, Zoës *loc. cit. n. eod.* Tum quia ſi prior obligatio ſponſalitia per matrimonium ſubſequens extingueretur, tunc extingueretur ex natura rei, vel ex diſpoſitione juris poſitivi, *non ex natura rei*, quia illa obligatio poteſt conſiſtere cum matrimonio cum alia contracto, ſaltem ut maneat in ſuſpenſo, & demum matrimonio ſoluto executioni mandetur. *Non ex diſpoſitione juris poſitivi*; cùm textus, qui in oppoſitum adduci ſolent, id non ſtatuant, ſed tantùm decidant contrahentem matrimonium cum alia, debere cum illa manere. Tum quia ſi quis emiſit votum ingrediendæ religionis, non omninò ſolvitur ab obligatione ſua per conſummatum poſtea matrimonium, ſed tenetur uxore mortuâ religionem ingredi. Ergò etiam, qui contraxit ſponſalia cum una, non omninò ſolvitur ab obligatione ſua per contractum poſtea cum alia matrimonium, ſed tenetur uxore mortuâ cum ſponſa priore matrimonium contrahere; quemadmodum enim matrimonium conſummatum poſt votum ingrediendi religionem non eſt incompoſſibile cum obligatione voti, quamvis ejus impletionem impediat; ita nec matrimonium contra- 28.

ctum

ctum cum ſecunda eſt incompoſſibile cum obligatione ſponſalitia reſpectu primæ, etſi quamdiu durat, impediat impletionem illius. Et parum refert, obligationem eſſe ejuſdem vel diverſæ rationis. Ita noſt. D. König *loc. cit.*

Dices 1. cum Præpoſit. *in c. ſicut 22. de ſponſal. n. 8. Ancharan. ibidem 6.* Layman *in Theol. mor. lib. 5. tract. 10. p. 1. c. 2. n. 22.* Pirhing *ad tit. de ſponſal. & matr. n. 49.* & aliis. Obligatio ſemel extincta non reviviſcit per *L. Qui res 98. §. Aream ff. de ſolution.* atqui obligatio ſponſalium præcedentium per matrimonium ſubſecutum non tantùm ſuſpenſa, ſed etiam penitùs extincta fuit, eò quod ob indiſſolubilitatem vinculi præſentis cum matrimonio ſit incompoſſibilis. Ergò &c. *Reſp. Nego minorem* falſum enim eſt, quod obligatio parti innocenti ex ſponſalibus quæſita per matrimonium alterius injurioſè contractum extincta ſit, & omninò ſublata, cùm pars innocens ſemper retineat jus exſpectandi tempus implendæ promiſſioni aptum: quippe hoc jus auferri non potuit injuſto facto alterius, & vinculum matrimonii non eſt incompoſſibile cum illo, prout refertur ad tempus, quo vinculum ipſum ceſſabit.

Dices 2. *cum iiſdem.* Votum ſtrictioris religionis omninò extinguitur per profeſſionem ſecutam in ordine laxiori *per c. 5. de Regular. in 6* idque ideò, quia ſunt obligationes ejuſdem rationis, una tamen fortior alterâ: Ergò cùm etiam obligationes ſponſalium & matrimonii ſint ejuſdem rationis, quippe utraque eſt ex juſtitia & facta homini, & una eſt fortior alterâ, hinc ſi ſuperveniat obligatio matrimonii, utpote fortior extinguet omninò illam priorem obligationem ſponſalium. *Reſp. Nego paritatem.* Et dico obligationem fortiorem elidere debiliorem ejuſdem rationis, ubi utraque obligatio uni, & eidem eſt quæſita, ut puta Deo per votum ſimplex aut ſolemne: non item, ſi obligatio reſpiciat diverſas perſonas, ut fit in præſenti, tunc enim utraque ſuſtineri poteſt, & debet, ita dictante æquitate naturali, & docente Ferdinando de Caſtropal. *loc ſuprà cit.*

Quæres 4. An ſponſalia priùs inita ſolvantur per poſteriora? *Reſp. Negat.* Etſi
29. eſſent jurata poſteriora ſponſalia. Ita Zoës *ad tit. de ſponſal. n. 35.* & noſter D. Engel *ad tit. de ſponſal. & matr. § 3 n. 5. Ratio eſt*: Quia juramentum hoc caſu attendi non debet, eò quod ſit ſuper re alteri jam debita, atque ita iniquum, & cùm ſit in præjudicium tertii, ſcil ſponſæ prioris, non eſt obligatorium, per *c. Ea de 22. & c. Cùm contingat 28. de iureiur. c. Non eſt obligatorium 58. de R. I. in 6.* Nec juramentum adjectum ſecundis ſponſalibus poteſt efficere, ut jus quæſitum contrahenti priora ſponſalia auferatur, quamvis propter fidem mentitam pœnitentia competens injungenda ſit.

Dices, juramenti religio actus aliàs invalidos reddit validos, *Auth. Sacramenta C. ſi adverſus vendit. cap. Quamvis 2. de pact. in 6.* Ergò licèt ſponſalia poſteriora eſſent invalida juramentum tamen illa faciet valida. *Reſp. antecedens eſſe verum*, quando juramentum non eſt vinculum iniquitatis, & in præjudicium tertii, quod tamen contingit in ſponſalibus poſterioribus adjecto juramento contractis.

Quæres

Quæres 5. An ſponſalia poſteriora cum copula contracta dirimant ſponſalia 30.
priora abſque copula inita? *Reſp. cum diſtinctione* vel enim ſponſalia contrahuntur in locis, ubi publicatum eſt Concilium, vel non? ſi in locis, ubi Tridentinum eſt receptum, ſponſalia poſteriora etiam cum copula contracta non derogant prioribus, cùm in illis locis ceſſet matrimonium præſumptum, ac fides in poſterioribus ſponſalibus data, utpote in præjudicium fidei prioris irrita eſt. Navarr. *ſum.lat.22 n.16. caſ.3.* Bartol à Ledesma *de matr.Dub.13.& caſ 8.* Sanchez *lib.1.de ſponſal.diſp.49.n.1.* Nec copula facit per ſe irritari priora ſponſalia, nec injuria illata ſecundæ præjudicat primæ, cùm illa copula aliâ viâ poſſit reparari. Si tamen præjudicium & injuria ſecundæ illata per deflorationem tanta eſſet, ut nec aliâ viâ compenſari poſſet, ſuaderet charitas, ut prima ſponſa non cognita renuntiaret ſatisfactione tamen ſibi datâ: quia hæc tenetur etiam mediocre damnum ſuſtinere ad evitandum damnum proximi graviſſimum. Quod ſi autem ſponſalia poſteriora ſunt contracta cum copula in locis, ubi Tridentinum non eſt receptum, priora diſſolvuntur, cùm ſecundùm jus antiquum copula ſubſequens ſponſalia ponat matrimonium. Interim apud omnes ferè DD. certum eſt, quòd illa pars quæ non contrahit ſecunda ſponſalia, ſit omninò libera ad contrahendum matrimonium, & à prioribus ſponſalibus reſilire poteſt, ſi velit, cùm contrahens ſecunda ſponſalia eò ipſo cenſeatur ſponſalibus primò initis renuntiaſſe.

Quæres 6. An priora ſponſalia nullo modo per poſteriora cum copula poſſint 31.
dirimi? *Reſp.* Poſſunt quidem ita dirimi priora, ſimiliter & poſteriora, ut neutrum matrimonium iniri poſſit, nimirum ſi copula & ſponſalia poſteriora fuerint cum conſanguinea in primo gradu prioris ſponſæ: tunc enim cum priori non poteſt contrahi ratione affinitatis ex copula cum conſanguinea conſurgentis: Non etiam cum poſteriori ratione publicæ honeſtatis, quæ eſt orta ex prioribus ſponſalibus validis. Navar. & Sanchez *lib.1. de ſponſal.Diſp 49.n.3.*

Quæres 7. Quid juris? ſi Titius v.g. ſponſus poſt contracta demum ſponſalia 32.
cum Berta v.g. alia denique ſponſalia contrahat cum Caja, an tenetur diſſolutis primis ſponſalibus vel amborum conſenſu, vel aliâ ſufficienti cauſâ id urgente ſecunda ſponſalia ſervare, & matrimonium inire cum Caja, præſertim ſi juramentum interceſſerit? *Reſp. probabiliùs negativè. Ratio eſt*: Tum quia illa poſteriora ſponſalia ab initio nulla erant etiam in ratione promiſſionis, utpote erant promiſſio rei illicitæ: quod autem ab initio validum non fuit, tractu temporis non convaleſcit per *Reg. Non firmatur 18.de Reg. Iur.in 6.* & *Reg. Quod ab initio 29. ff. eodem.* Tum quia profeſſio emiſſa tempore inhabili non obligat tempore habili. Abbas *c. placuit n.4.de conjug.* per illum textum & per *c. Quidam eod. tit.* Hinc ſi conjugatus profiteatur, cùm illo tempore ſit inhabilis, non tenetur mortuâ uxore ad religionem redire. Tum quia, ſi habens votum caſtitatis contrahat ſponſalia, non tenetur ad

ſpon-

ſponſalia,licèt poſtea in voto cum ipſo diſpenſatum ſit, quia ab initio nulla fuerunt ratione impedimenti impedientis: ſed ſimiliter in noſtro caſu fuerunt nulla ratione impedimenti priorum ſponſalium: Ergò,&c. tum quia votum de re impoſſibili non obligat illâ poſſibili factâ, ut plures docent: Ergò ſimiliter cùm illa promiſſio fuerit illicita, quando poſtea licitè impleri poteſt, non obligabit Interim licèt Titius nec vi promiſſionis ut dictum, conſequenter nec vi juramenti utpote acceſſorii promiſſionem ligetur ad poſteriora ſponſalia, benè tamen poterit ligari ratione damni illati virgini defloratæ, aut viduæ honeſtæ magnam famæ jacturam patienti. Sanchez *lib.1. de ſponſal. diſp.50.n.6.*

Dices, licèt ſecunda ſponſalia non valuerint eo modo, quo facta ſunt, valuerunt tamen eo modo, quo valere potuerunt, juxta illud Juris vulgatum, *Actus, qui non valet eo modo, quo fit, valet eo modo, quo poteſt*: at jam mortuâ priore ſponſâ poteſt valere, & effectum ſuum conſequi promiſſio poſterior facta: Ergò tenebitur adhuc ad ſecunda ſponſalia. Ita Rebell. *part.2.lib.4.q.8.ſect.8.n.56.verſ.verum quares.* R. p. hoc juris dictum eſſe verum, quando actus dum fit, partim poteſt valere, partim non: nam tunc valebit ſecundùm id, ſecundùm quod valere poteſt. At in noſtro caſu nec in parte quidem valida ſunt illa ſponſalia abſolutè facta. *P. Tamburinus lib. 8. de matr. tract. 3. de ſponſal cap 5. §. 5. ex Caſtropalao.*

Quæres 8. Quid ſi Titius poſteriora ſponſalia contraxiſſet cum Caja additâ con-
33. ditione: *Ego promitto tibi Cajæ conjugium, ſi fortè Berta mea ſponſa moriatur, ſeu remittat promiſſionem illi à me factam*: *Seu promitto tibi Cajæ conjugium pro tempore, quo legitimè ero ſolutus à ſponſalibus à me cum alia initis*? *Reſp.* Si Titius ſponſalia iniviſſet hoc modo, valida eſſet promiſſio, & is tunc mortuâ vel animo mutatâ *Bertâ* tenetur ad ducendam *Cajam*, quia ſi tunc *Titius* habuit ejuſmodi intentionem, validè contraxit pro tempore futuro.

Quæres 9. Quid ſi expenſis omnibus eſſet dubium, an *Titius* habuerit talem
34. intentionem iſto modo contrahendi? *Reſpondet* Averſa *c.8. de matr ſect.13. vers. tertio.* Titium debere præſumi illam habuiſſe, atque adeò obligari ad ducendam Cajam. Ratio ejus eſt: ſi enim præſumeretur non habuiſſe, præſumeretur delictum injuſtitiæ contra priorem ſponſam commiſiſſe: at in jure delictum nunquam præſumitur, niſi certò conſtet, & ita debere etiam judicem pronuntiare, qui animum internum non videt, ait P. Tambur. *lib 8. de matr. tract. 8. de ſponſal. c.5. § 5. n.24.* Interim cum adhuc de ipſa ſubſtantia obligationis dubitetur, an facta ſit, puto Titium integriùs non obligari, & dubiam promiſſionem favere libertati Titii, quæ manet in poſſeſſione, donec contrarium probetur.

Quæres 10. Quid juris? Si ſponſus ſibi duas ſucceſſivè de futuro deſponſaſſet, & ambas per copulam cognoviſſet, quam ex illis deberet ducere? *Reſp.* pri-
35. mam,

mam, quia nulla adeſt ratio, quare prima debet ſecundæ cedere, cum cæteris paribus, qui prior eſt tempore, potior ſit jure. Rebell. *p.2. lib.4. q.8. n.58.* Pont. *lib.12. cap.14. n.3. & 4.* Zoës. *ad tit. de ſponſal. n.36.*

ARTICULUS QUINTUS.

De Diſſolutione ſponſalium, quæ oriri poteſt ex ingreſſu Religionis.

QUæres 1. An ipſo jure ſolvantur ſponſalia etiam jurata per actualem profeſſionem in Religione approbatâ emiſſam? *Reſpond. affirmat.* cùm & ipſum matrimonium ratum ſeu ſponſalia de præſenti per illam ſolvantur, *c. Ex publico 7. de convers. conjug.* Trident. *ſeſſ. 24. de Sacrament. m tr. c 6.* Ergò multò magis ſponſalia, præſertim cùm ſponſalibus ex diſpoſitione juris inſit hæc tacita conditio: *Niſi contrahens ſtatum religioſum elegerit.* Covarr. *in Epitome lib. 4. decret. c.5. n.11.* & ex illo Pirhing *ad tit. de ſponſal. n 50.* 36.

Quæres 2. An ante matrimonium contractum liceat ingredi & profiteri religionem, ſi ſponſalia fuerint juramento firmata? *Reſp. affirmat.* cum Sanche *lib.1. diſp. 43.* Escobar. *Theol. moral. lib.24. dub.55.* Covarr. Guttierez, Palao. Gobat, Armilla Alex. de Nevo & aliis tàm T. T quàm JCtis contra Rebell. Ledesmam & alios putantes debere matrimonium priùs iniri, ut ſic ſatisfiat juramento. Ratio noſtræ concluſionis eſt: Tum quia matrimonium priùs contrahens actum deluſorium ageret animum habens matrimonium deſerendi, & ſponſam deciperet, quæ certè nunquam matrimonium contraheret cum viro talem animum habente Tum quia juramentum ſequitur naturam actus, cui apponitur, conſequenter conditio tacitè incluſa in actu cenſetur ſimiliter incluſa in juramento: Ergò conditio niſi promittens ſtatum perfectiorem & religioſum elegerit; quæ tacitè ineſt promiſſioni matrimonii, inerit quoque juramento. Tum quia non videtur juramentum infringere, qui illud in melius commutat per *c. pervenit 3. de jurejur. c. Scripturæ 4. de voto & voti redempt.* utique autem meliùs religionem ingredi, quàm nubere, per *c. Nuptiarum 41. cauſ. 27. q. 1.* ita noſt. D König *ad tit. de ſponſal. 64.* Tum quia ſic contrahendo graviter luderetur pars altera, ut quæ contra fidem ſibi datam cogeretur innupta remanere, & exſpectare uſque ad profeſſionem ingredientis, & non profitenti ac poſtea egredienti non ſine probro adhærere, ut advertit noſt. Reverendiſſimus D. Oberaſcher *de Sacram. p.2 tr.1 c 1. § 2.* qui tamen hanc ſententiam limitat, ut ſponſus ante matrimonium contractum nequeat ingredi religionem, ſi ſponſam poſt ſponſalia ſub ſpe matrimonii defloraſſet, vel ſi illa ob habitam familiaritatem famæ notabilem jacturam pateretur; ſiquidem tunc moraliter loquendo injuriam violatæ virginitatis aut famæ aliter reſarcire non poteſt, ad quod tamen ex juſtitia obligatur, nec unum præ alio invito creditore reddi poteſt, Zoës. *ad tit. de ſponſal.* 37.

ſal.n.31. Idem docet Sanchez *lib.1.de ſponſal.diſp.44.n.3.& 4.* qui & *n.6.* ait idem dicendum eſſe, licèt ſponſalia vera non eſſent, quia promiſſio ficta non fuit: nam in iis caſibus, in quibus fictus promiſſor tenetur deceptam ducere, non poteſt ingredi religionem. Neque ſatisfacit promiſſor in his circumſtantiis, ſi contracto matrimonio & non conſummato religionem ingrediatur, quia illo matrimonio non reſarcitur injuria virginitatis & famæ. Imò ſi hujusmodi promiſſor in his eventibus votum religionis emiſiſſet, talis poteſt & debet matrimonium contrahere & conſummare non obſtante tali voto, quia non potuit illud in præjudicium fœminæ emittere.

Dices 1 c. Commiſſum 16. de ſponſal. Alexander III. Papa reſcripſit ob reverentiam juramenti contrahendum eſſe matrimonium, & ante ejus conſummationem intrandam religionem per illa verba: *Tutius eſt ei religione juramenti ſervatâ prius contrahere, & poſtea ſi elegerit, ad religionem migrare. Reſp. in c. cit.* Papa non imponit præceptum, ſed conſilium, cùm tantùm dicat *Tutius* eſt, per quod tacitè innuit ſaltem *tutum* eſſe matrimonio non contracto ingredi religionem

Dices 2. Juramentum ſervandum eſt, quoties licitè poteſt adimpleri ſine impedimento majoris perfectionis ſpiritualis & ſtatûs ſalubrioris, poteſt autem in noſtra hypotheſi, cùm ſtatim poſt adimpletum juramentum religionem ingredi conceſſum ſit. *Reſp.* Juramentum ſervandum eſt, quoties licitè ſervari poteſt ſi juramentum non involvat conditionem, quæ non adimpletur, vel quando non mutatur in melius, ita noſt D König *ad tit. de ſponſal. n. 64.*

38. *Quæres* 3. Utrum ſponſalia ſolvantur per ſolum ingreſſum in Religionem, ſeu Novitiatum profeſſione non ſecutâ? *Reſp. ſub diſtinctione*; vel loquimur de illo, qui manet in ſæculo; tunc dico ipſum liberum manere à ſponſalibus, ac poſſe, ſi velit ad aliud matrimonium ſe convertere. *Ratio eſt:* Tum quia ingrediens religionem ſatis declarat ſe renuntiare ſponſalibus, & ſic alterum abſolvere à fide data, ſi velit. Tum quia ex parte ingredientis accedit notabilis mutatio, & parti remanenti in ſæculo nimis grave foret illi nubere, qui geſtavit cappam, ut ait ex Zoëſio *ad tit. de ſponſal. n. 27.* Schambogen *in Lect. publ. in Inſtit. lib. 1 tit. 9.* & inſuper per integrum annum Novitiatûs non ſine incontinentiæ periculo exſpectare deberet. Tum quia probroſum eſſet ſponſæ, ſi nubere deberet religionem deſerenti, cùm egreſſus afferat notam & maculam levitatis, & omnia illa adhuc vera ſunt, etſi ingrediens fictè ingrederetur; id eſt, animo non profitendi: Vel loquimur de illo, qui Novitiatum aſſumpſit, & de illo dico, licèt licitè ingrediatur, tamen ipſe non eſt liber abſolutè à ſponſalibus, hinc ſi ante profeſſionem egrediatur, adhuc debet obſervare promiſſionem factam alteri, ſi alter velit. *Ratio eſt:* Tum quia licèt ingrediens in religionem per hoc ſuo juri quoad ſponſalia cedat, non tamen ceſſit perſona in ſæculo remanens, ideoque ingrediens adhuc manebit obligatus ad matrimo-

trimonium, ubi egreſſus fuerit è religione, cum ipſa contrahendum. Neque privilegium, ex quo profeſſio religioſa liberat à promiſſione, ſeu fide antecedenter data in ſponſalibus vel matrimonio rato ad Novitiatum, ſeu ingreſſum in religionem extendi non poteſt, cùm ſit odioſum, & præjudicet Juri remanentis in ſæculo, ita D. Thom. Henriquez, Coninck relati à Trident. *praxi Sacram. lib. 7. c. 2. dub. 1.* & noſtri DD. Mezger *in ſua Theol. Scholaſt. Bened. Salisburg. diſp. 52. art. 4.* Engel *ad tit. de ſponſal. §. 3. n. 7.* König *ad eund. tit. n. 65.* Idem docet Pirh *ad tit. eund. n. 50. & alii.* *Ratio eſt*: Tum quia nulla ratio aſſignari poteſt, quare illa obligatio ceſſet ex parte Novitii, cùm illam Novitiatus non tollat *ex diſpoſitione Iuris poſitivi*; cùm tale nuſquam extet, nec ex diſpoſitione Juris facta profeſſioni id inferre licet, cùm illa, quæ pendent à Jure poſitivo, non poſſint extendi de caſu in caſum. *Neque ex ſua natura*, cùm non ſit ſtatus incompoſſibilis cum ſponſalium impletione, hoc ipſo, quòd ei ſit licitus egreſſus.

Dices 1. Sicut ſe habet profeſſio ad matrimonium ratum: ita ſe habet ingreſſus religionis ad ſponſalia: atqui profeſſio diſſolvit matrimonium ratum ex parte utriusque. *Reſp. Nego paritatem.* Tum quia profeſſio ad matrimonium ratum ſe habet tanquam vinculum obligatorium fortius ad minus forte: ſic ſe non habet Novitiatus ad ſponſalia, cùm ille nulli ad emittendam profeſſionem gravem obligationem inducat *per c. ſtatuimus 23. de Regular. & c. Non ſolùm 2. eod. tit. in 6* Profeſſio verò gravem & obligantem inducit. Tum quia profeſſio eſt quædam mors ſpiritualis, & inducit ſtatum perpetuum matrimonii incapacem, non item Novitiatus, qui præcisè deliberandi causâ introductus eſt citrà ullam obligationem, quæ repugnet obligationi ſponſalitiæ legitimè contractæ. Imò vis & privilegium ſolvendi ſponſalia ex parte religionem ingreſſi Novitiatum nullibi datum eſt, & à profeſſione ad eum ob paritatem rationis ampliari nequit, ita noſt. D. König *ad tit. de ſponſal. n 65.*

Dices 2. Sponſalibus ineſt tacita conditio, ſi non ingrediar religionem, arg. *c. verum 2. de convers. conjug.* quæ conditio deficit, ſi alteruter religionem ingrediatur, conſequenter & deficiet obligatio ſponſalium, arg. *L. Neceſſario 8. pr. V. Quod ſi ff. de pericul. rei vend. & L. pecuniam 36. ff. de reb. cred.* *Reſp. Nego* ſponſalibus ex juris diſpoſitione tacitam hanc ineſſe conditionem, *niſi religionem ingrediar per ſolum Novitiatum*, licèt inſit illa tacita conditio, niſi ingrediar religionem per profeſſionem, arg. *c. Verùm 2. c. Ex publico 7, & c. Ex parte 14. de convers. conjugat.*

Dices 3. Obligatio voti diſſolvitur per ingreſſum in religionem bonâ fide, id eſt, animo in illa perſeverandi, ita ut ſi vovens egrediatur expertus eum ſtatum ſibi non convenire, liber maneat ab obligatione voti, ergò etiam per ingreſſum religionis penitùs diſſolvitur obligatio orta ex ſponſalibus, nec redit per egreſſum ex illa, ita Sylveſter *V. ſponſalia 10, caſ. 2.* & Bonacina *Tom. 1. q. 1. de ſponſal. punct. 5. n. 2. cum aliis.*

aliis. Reſp. Nego paritatem. Quia per ingreſſum religionis & ejus experientiam in an-
no probationis impletur votum religionis, & ceſſat ejus obligatio, etſi non ſequa-
tur profeſſio, ſi vovens bonâ fide & ſine fraude ingreſſus ſit : at ingreſſus in reli-
gionem non eſt impletio ſponſalium, nec mutatio in melius ante ſecutam profeſ-
ſionem. Nec refert, quod conditio Novitiorum ſit perfectior, quàm ſponſorum :
quia promiſſio centum aureorum facta pauperi aut alteri piæ cauſæ etiam perfe-
ctior eſt, quàm facta diviti, aut alicui cauſæ profanæ, & tamen huic facta conditio-
nem, *Niſi eos donem pauperi, aut alteri piæ cauſæ impendam*, ex natura ſua, vel juris diſpoſitio-
ne non includit, ut Perez notat Wieſtner *ad tit. Qui clerici vel vovent, matr. contrah. poſſ.
n. 34.*

Quæres 4. Quid juris ? ſi quis voviſſet religionem aſſumere, is tamen poſtea
30. contraheret ſponſalia, eſſentne valida illa ſponſalia, & contrahens ad illa obligabi-
tur ? *Reſp.* Nec valida ſunt illa ſponſalia, nec ad illa contrahens tenebitur, etſi
etiam ſponſalia Juramento confirmaſſet. Ratio eſt : quia illa ſponſalia ſubſequen-
tia votum ſunt de re illicita. Si tamen præter dicta ſponſalia interceſſiſſet deflora-
tio ; vel quid aliud ſimile, tunc contrarium dicendum eſſe putant P. Tambur. *L.7.
in dec. c. 5. §. 3. à n. 34.* Tannerus & Sanchez, quibus tamen refragatur Layman *lib 5. tr.
10. p. 1. c. 2. n 5.* & Pirhing *ad tit. de ſponſal. & matr. n. 54.* eò quòd per votum priùs Deo
Jus quæſitum ſit, adeoque non poſſit vovens propriâ authoritate tale votum tol-
lere alteri ſe magis obligando, vel ſtatum voto contrarium ſuſcipiendo, hinc di-
cunt requiri, ut Prælatus Eccleſiaſticus in voto diſpenſet, ejusque obligationem
causâ cognitâ relaxet, quam diſpenſationem petere debet ille, qui voverat, & hanc
ſuam ſententiam dicunt eſſe in praxi receptam, aliorum tamen eſſe ſpeculativè
probabilem.

Quæres 5. Quod ſi profeſſio religioſa diſſolvit ſponſalia, diſſolvitne etiam vo-
40 tum ſimplex eandem aſſumendi ? *Reſp. ſub diſtinctione.* Vel enim quæritur, an hujus-
modi votum religionis licitè emittatur, quia ſicut licitum eſt ſponſo profiteri in
religione, ita & illum vovere, niſi tamen alia impedimenta adſint impedientia aſ-
ſumptionem ſtatûs religioſi, ut puta, ſi ſponſa à ſponſo eſſet deflorata, vel ſpe matri-
monii imprægnata, tunc enim tale votum non eſt gratum Deo cum tanto damno
proximi, adeoque nec obligatorium. Vel quæritur, an eo ipſo diſſolvantur ſpon-
ſalia, & dico ille, qui non vovit, poteſt recedere à ſponſalibus, ſi vult cùm alter vo-
vens jam renuntiet ſponſalibus, & ſic per mutuum conſenſum diſſolvi poſſunt ;
quæ diſſolutio ipſo facto non conſurgit : Nam ſi is, qui religionem vovit, in nulla
fortè ex religionibus admittatur, ſeu ex alia quacunque cauſa religionem vovens
egrediatur, tenetur adhuc ſtare initis ſponſalibus, ſi alter remanens in ſæculo &
non vovens hoc petat. Ratio eſt : quia prædictum votum nec ex natura ſua ha-
bet ſponſalia diſſolvere, neque ex Jure Eccleſiaſtico : cùm nullibi in hoc Jure ejus-
modi

modi privilegium tali voto concedatur, Caſtropalaus *diſp.1. de ſponſal. p.20. n.6.* P. Tambur. *lib.8. de matr. tract.3. de ſponſal. cap.5. §.2. n.7.*

ARTICULUS SEXTUS.

De Diſſolutione ſponſalium, quæ oriri poteſt ex ſuſceptione ordinis ſacri, ejus voti.

QUæres 1. An per ſuſceptionem SS. ordinum ſponſalia diſſolvi poſſint? *Reſpond. affirmat. cum communi DD.* Ratio eſt: quia ſponſalium obligatio inefficax redditur, ita ut matrimonium ampliùs contrahi non poſſit, cùm SS ordines uti & profeſſio religioſa impedimentum dirimens ſecum trahant, & ordinatum perpetuò inhabilem reddant ad implenda ſponſalia. 41.

Quæres 2. An ſponſalia priùs inita etiam per ſuſceptionem ordinum minorum dirimantur? *Reſp. Negat. cum communi DD.* ac proinde ſponſus ad illos licitè poteſt promoveri, quia hi ordines non repugnant matrimonio, nec illud impediunt, ſtatum incompatibilem nuptiis conſtituendo. 42

Quæres 3. An SS. ordines poſſit licitè ſponſus invitâ ſponsâ ſuſcipere? *Reſpondent affirmativè* ex Pontio Laiman, Caſtropalaus *diſp.1. de ſponſal. p.13.* & ex Diana & aliis quoque Averſa *q.7. de ſponſal. ſect. 12. verſ. dici tamen.* *Ratio illorum eſt*: Tum quia ſtatus eccleſiaſticus dignior & ſanctior eſt ſtatu matrimonii, ac de meliori bono, hinc per obligationem ſponſalium, quippe quæ minoris momenti eſt, ac minùs fortis, ſtatus eccleſiaſticus impediri non debet. Contrarium docet Sanchez, Coninck, Rebellius, Caſp. Hurtad. *diſp.2. de matr. diff 4.* & alii. *Ratio illorum eſt*: Quia ordini ſacro, licèt perfectum ſtatum vivendi contineat, non conceditur à jure ſponſalia dirimere, cùm econtra ſtatui religioſo propter ejus peculiarem & ſingularem perfectionem per text. *c.2. de converſ. conjugat* Utraque ſententia probabilis eſt, elige, quam vis. Hoc interim certum eſt, talem ſive licitè, ſive illicitè ordinatum ex æquitatis ratione reſarcire debere damna & expenſas ſponſæ, quas intuitu nuptiarum fecit, eademque expenſarum reſtitutio ſecundùm probabiliorem ſententiam etiam ab ingrediente monaſterium fieri debet, arg *L. ſi pecuniam 5. ff. de condict. causâ datâ, &c.* Et ne privilegium ingrediendi religionem in nimis magnum alterius præjudicium extendatur. 43.

Quæres 4. An ſponſalia diſſolvantur per votum ſuſcipiendi SS. ordines? *Reſpondeo Negativè* probabilius cum Sanche, Caſtropalao, & aliis. *Ratio eſt*: Quia tale votum illicitè emittitur, cùm ſit in præjudicium alterius, puta ſponſæ, hinc utique præjudicans non acceptatur à Deo; imò nequidem tenetur mortuâ ſponsâ ſeu uxore SS. ordines ſuſcipere, cùm illud votum ab initio nullum fuerit, niſi tamen expreſsè voviſſet, ſi nimirum eſſet ſupervicturus ſuam conjugem, quod tunc vellet 44

ſuſcipere SS. ordines, ita Pater Tamburinus *lib. 8. de matr. tract. 3. de ſponſal. cap. 5. §. 3. n. 3.*

ARTICULUS SEPTIMUS.

De Diſſolutione ſponſalium, quæ oriri poteſt ex voto ſimplici caſtitatis vel cælibatûs.

45. QUæres 1. An votum caſtitatis præcedens ſponſalia illa contrahenda irritet? *Reſpondeo affirmativè cum communi DD.* Quia illa ſponſalia continent promiſſionem rei illicitæ.

46. *Quæres* 2. An, ſi poſt ſponſalia contracta emittatur votum ſimplex caſtitatis, per illud votum diſſolvantur ſponſalia? *Reſpond. Negat.* cum noſt. D. Engel *ad tit. de ſponſal. & matr. §. 3. n. 9. Ratio eſt:* Quia nec juramentum, nec votum in alterius præjudicium obligat, nec Deus acceptat promiſſionem rei priùs alteri promiſſæ, & in ejus præjudicium, ut ſi priùs promiſi equum Petro, & poſtea repromitto Eccleſiæ, prævalet prior promiſſio, proinde tale votum eatenus tantùm obligabit ipſum voventem, quatenus idem ſuâ perſonâ implere poteſt, ut ſcilicet contracto matrimonio debitum petere non audeat, ſed tantùm reddere, niſi legitimam diſpenſationem ab Epiſcopo impetraverit, Navarrus *in manuali confeſſ. c. 22. ſub n. 27.* Sanchez *lib. 1. de ſponſal. diſp. 46* Laiman *lib. 5. tract. 10. part. 1. cap. 1.*

Dices cum Gobat *Exper. Theol. tract* 10. *n.* 112. ſponſalia, utpote ſimplex promiſſio videntur, debere cedere etiam promiſſioni ſimplici de meliori bono, communiter incompoſſibili cum matrimonio, & videtur in promiſſione matrimonii ſubintelligi hæc conditio, *Niſi elegero* vitam perfectiorem, Diana *part. 9. tract. 7. Reſolut. 75. in fin.* & ulteriùs ait Gobat *loc. cit.* Leſſium conſultum, utrum certa aliqua virgo poſſet emiſſione voti ſimplicis ſe ſolvere ab obligatione ſponſalium ſimplicium de futuro, reſpondiſſe his verbis: *cenſeo ſecurè permitti poſſe illi virgini, ut votum caſtitatis in ſæculo manens emittat, & ſic ſe ab obligatione ſponſalium ſimplicium liberet.* Hoc reſponſum extat in ejus Auctario *Verb. ſponſal. caſ. 6.* & citat pro ſua ſententia Joan Andream, Angelum Richardum, Sylveſtrum *Verb. ſponſal. q. 10* Dominicum Sotum: Ergò. *Reſp.* non ſufficit quæcunque perfectio operis, & quodlibet bonum melius ad tollendam obligationem juſtitiæ, qualis reperitur in ſponſalibus, ſed id debet in jure exprimi, vel ſaltem concedi, & declarari ab Eccleſia. Invenimus quidem hanc efficaciam Eccleſiam conceſſiſſe profeſſioni religioſæ, & conſequenter ejus voto, nullibi autem reperitur id conceſſum voto ſimplici caſtitatis; neque enim de Jure Naturæ habet efficaciam deſtruendi id, ad quod aliàs de juſtitia obligamur. Et certè illa tacita conditio vel de Jure naturæ, vel Legis Eccleſiaſticæ ſubintelligi deberet, ſed neutrum,

neutrum,ut patet,rem accuratiùs perpendenti : Ergò, &c. Imò ita etiam per merum propoſitum ſervandi caſtitatem, ſeu vitam cœlibem licitè diſſolvi poſſent, ita ut ſolo amore caſtè vivendi ſponſus vel ſponſa poſſit recuſare nuptias promiſſas, quod tamen communiter à Canoniſtis & Theologis reprobatur.

Quæres 3. Quid Juris? ſi Titius v. g. ſponſus poſt ſponſalia contracta inſinuaret Bertæ, v. g. ſponſæ, ſe votum caſtitatis emiſiſſe, poteſtne Berta eo ipſo reſilire à ſponſalibus? *Reſpond. affirmat.* cum communi DD. ſententia: Quia vovens cenſetur ex parte ſua renuntiaſſe ſponſalibus, & proinde fit alteri liberum, ut & ipſe renuntiare poſſit, & ſic per mutuum conſenſum tolluntur. Interim in foro externo Judex non facile credere debet ſponſum vel ſponſam votum caſtitatis emiſiſſe, quia id communiter exteriùs ſimulatur ad extorquendam ſponſalium diſſolutionem. 47

ARTICULUS OCTAVUS.

De Diſſolutione ſponſalium, quæ provenire poteſt ex diſpenſatione.

QUæres 1. Quando datur locus diſpenſationi in ſponſalium contractu? *Reſpond.* in illo caſu, in quo ſponſalia adhuc valent, ac proinde altera pars nec remittit jus, quod habet in alteram, ſubeſt tamen aliqua cauſa, quæ ſuadeat diſſolutionem, nam alteri auferre jus ſuum abſque rationabili cauſa non licet. 48

Quæres 2. An Epiſcopus poſſit diſpenſare in legitimis ſponſalibus? *Reſp. Negat.* cum Sanche *de ſponſal. lib. 1. diſp. 61.* Ratio eſt: Quia Epiſcopus generatim nequit diſpenſare in caſu, quo jus eſt acquiſitum alicui tertio, talis enim poteſtas eſt penes ſolum ſummum & ſupremum principem, & nominatim quoad præſentem materiam videtur hæc actio Epiſcopo prohibita in aliquibus locis, Gobat *exper. theol. tract.* 10. *n.* 281. Patrit. Sporer *Theol. Sacrament. p. 4. c. 1. n.* 228. 49

Quæres 3. An Papa diſpenſare poſſit in ſponſalibus? *Reſpond. affirmat.* ſi tamen ſubſit juſta cauſa diſpenſandi, ſine illa enim Princeps ſupremus jura indubitata & quæſita violare non debet. 50.

Quæres 4. An Papa etiam diſpenſare poſſit in ſponſalibus juramento firmatis? *Reſpond. Negat.* abſque graviſſima cauſa & concernente bonum publicum. *Ratio eſt*: Quia jus acquiſitum alteri & firmatum juramento nequit etiam à ſupremo Principe niſi ob graviſſimam & bono publico neceſſariam cauſam auferri, Card. de Lugo *in Reſponſ. moral. lib. 1. dub. 44. n. 3.* Gobat *exper. theol. tract.* 10. *n.* 282. Patrit. Sporer *Theol. Sacrament. part. 4 n.* 237. 51.

Quæres 5. Quænam poſſit aſſignari talis juſta cauſa diſpenſandi? *Reſpondet* Perez ſatis juſtam cauſam diſpenſandi eſſe, ſi timeatur priorem ſponſam futuram eſſe cauſam peccati ſponſo, aut ſi ex matrimonio cum altera ſperetur pax publica, aut 52.

extinctio,

ſtinctio, vel impeditio gravium diſcordiarum. Menochius *lib. 8. Conſil.* cenſuit ſequentes cauſas eſſe ſufficientes ad dirimenda ſponſalia, etſi fuiſſent jurata ac proinde Papam in ſimilibus ſponſalibus poſſe diſpenſare. *Primò*, ſi ſponſus ſummoperè abhorreat ſponſam. 2. Si ſponſa eſſet valde vilis conditionis, pauper, ætatis provectæ: è diverſo ſponſus ex honeſta familia, & bonis ortus parentibus, ſatis dives, & admodum juvenis. 3. Si ſponſa fuerit ante, & etiam fortè poſt illa concubina alterius. 4. Si nulla ſubeſſet ſpes procreandæ prolis, eò quod ſponſa eſſet grandæva. 5. Si parens ſponſi nollet conſentire in nuptias.

ARTICULUS NONUS.

De Diſſolutione ſponſalium, quæ provenire poteſt ex impedimento ſuperveniente.

1. QUæres 1. An ſponſalia ipſo jure ſolvantur, ſi quodcunque impedimentum dirimens de jure naturæ matrimonium, puta, ſi v. g. impotentia perpetua ad copulam accedat? *Reſpond. affirmat. Ratio eſt*: Quia matrimonium impoſſibile fit, impoſſibilium autem nulla eſt obligatio, per *Rg. impoſſibilium* 185. *ff. de R. J. Nemo* 6. *tit. eod. in* 6.

54. *Quæres* 2. An etiam ceſſet prior obligatio ſponſalium, ſi ſuperveniat tantùm impedimentum eccleſiaſticum dirimens puta affinitas, cognatio ſpiritualis, fornicatio cum conſanguinea ſponſæ, huic primo vel ſecundo gradu conjunctæ? *Reſp. affirmat. Ratio eſt*: Tum quia res venit in caſum, à quo inchoari nequit. Tum quia ſuperveniente aut detecto ejusmodi impedimento non poteſt contrahi matrimonium: Ergò nec ſponſalia ad id obligare, cùm impoſſibilium nulla ſit obligatio. Tum quia per poſitionem talis impedimenti ac notabilem mutationem parti innocenti juſta cauſa præbetur à ſponſalibus reſiliendi: pars autem illa, quæ impedimentum ponit, non liberatur ab obligatione ſponſalium, niſi pars innocens conſentiat; quia æquum non eſt, ut qui dedit cauſam impedimento, ex ſua malitia reportet commodum, & liberetur ab obligatione contracta erga illum, in quem deliquit. Hinc pars nocens impedimentô per diſpenſationem ſublatô fidem datam innocenti adimplere tenetur, & diſpenſationem ſuper impedimento procurare, ſi pars innocens velit. Guttierez *de matr. c. 32. n. 1.* Wieſtner *ad tit. de ſponſal. n. 103.* & alii

55. *Dices*: Diſpenſatio eſt favor & gratia principis affinis privilegio: ſed illo uti invitus nemo tenetur: ergò nec diſpenſationem impetrans. *Reſpond.* Verum eſſe, quod nemo privilegio uti invitus teneatur per ſe, poteſt tamen teneri per accidens, ſcilicet ratione damni & injuriæ, quam intulit parti innocenti, ſi reparatio aliter tamen fieri non poſſit.

Quæres

Quæres 3. An diſſolvantur ſponſalia, ſi ipſa præcedat impedimentum tantùm impediens matrimonium? *Reſp. affirmat.* cum Petro Soto *Lect.18. de matr. § ad ſponſalia*, Navarro *Lect.4. conſil. tit. de ſponſal.* Sanche *lib.1. de ſponſal. diſp.15. n 2.* Ratio eſt: Quia promiſſio rei illicitæ obligare non poteſt, ſed dum adeſt impedimentum impediens, eſt illicitum matrimonium: Ergò ſponſalia, quæ ſunt illius promiſſio, obligare nequeunt, ſed prorſus erunt inita. Hoc tamen intelligendum, ſi præceſſerit impedimentum perpetuum impediens. 55.

Quæres 4. An ſubſit juſta cauſa reſiliendi à ſponſalibus, ſi præceſſerit contractum ſponſalium impedimentum temporale impediens matrimonium? *Reſpond. Negat.* Nam impuberes poſſunt contrahere ſponſalia, cùm tamen pro tunc non poſſint contrahere matrimonium. Similiter qui vovit caſtitatem ad tempus non poteſt licitè pro eo tempore matrimonium inire, validè tamen contrahit ſponſalia, per *L. ſolet* 10 *de His, qui not. infam.* ubi notat Gloſſa *Verb. Non nocet* & ibi Baldus *n.2.* Navarr. *lib.4 conſil. tit. de conſangu. conſ.3. n.9.* Guttierez *de juram. p.1. c 5. n.9.* Petr. Gregor. Syntagm. Juris *p.2. lib* 8. *c.5. n4.* Sanchez *lib.1. de ſponſal. diſp.15. n.2.* qui tamen ait hoc intelligendum eſſe, ſi promiſſio fieret animo contrahendi pro eo tempore, quo adeſt impedimentum, ut qui per biennium promiſit caſtitatem, ſi daret fidem de matrimonio ſtatim contrahendo, animo illud conſummandi intra id tempus, illicitè promitteret, ac proinde ſponſalia nulla forent. 56.

Quæres 5. Quænam eſt plena ac ſufficiens probatio impedimenti, ut Judex poſſit prohibere, ne matrimonium celebretur, & ſic ſponſalia diſſolvantur? *Reſp.* Tale impedimentum plenè probatur unico teſte per *c. ſuper eo 2. de Conſangu. & Affinit.* & *c. præterea* 12. *de ſponſal.* *Ratio eſt*: Quia hîc agitur de vitando peccato, ne impediti contra Eccleſiæ prohibitionem peccent contrahendo, eſt communis DD. licèt ille teſtis non fuerit citatus, ſed per partem producentem Judici oblatus: non enim præſumitur ex hoc ſe ingerere, ſecùs ſi ſeipſum ingereret, tunc enim vel ut ſuſpectus eſſet repellendus Abbas *in c. Cùm tua n.2. de ſponſal.* ibid. Alex. de Nevo *n.4.* Præpoſit. *n.3* Bart. *L. poſt Legatum §. His verò n 1. ff. de His, quibus ut indign.* Maſcard. *de probat. concl.1035.* Admittendus itaque eſt talis teſtis, etſi eſſet denuntiator, vel accuſator, vel etiam allegaret propriam turpitudinem, per *c. præterea* 12. *de ſponſal. & matr.* & *c.1. de Conſangu. & Affinit.* Imò licèt fuerit perſona vilis, vel teſtis etiam criminoſus, ſiquidem ex cauſis ad vitanda peccata admittuntur teſtes aliàs inhabiles, quando alia probatio non ſuppetit, ita noſt. D. König *ad tit. de ſponſal. & matr. n.67.* & conſtat *ex c. præterea* 12. *de ſponſal.* ubi teſtis turpitudinem ſuam allegat. Nec in hoc caſu in probationis ſupplementum opus eſt accipere juramentum à contrahentibus, cùm unicus teſtis plenè probet. 57.

Quæres 6. An etiam ſponſalia juramento firmata propter famam impedimenti dirimentis, aut unius teſtis dictum, aut aliam ſemiplenam probationem diſ- 58.

ſolvi poſſint ? *Reſp. affirmat.* cum noſt. D König *ad tit. de ſponſal. n.* 68. Piaſecio *prax. Epiſcopal. part.* 2. *c.* 4. *& art.* 4. *de matr. n.* 28. & aliis contra noſt. Panormit. Gonzalez *ad tit. de ſponſal. n.* 5. & alios. Ratio eſt: Quia *c. ſuper eo* 2. *de Conſangu. & Affinit.* ſtatuitur juvenem, qui fide interpoſitâ (id eſt, juramento intercedente, ut interpretatur Gloſſa & Dd.) puellam deſponſaverat, ab impeditione & matrimonio promiſſo eſſe abſolvendum, ſi fama loci habeat, quod poſtea conſanguineam illius cognoverit, ſicque affinitatem cum ſponſa contraxerit, etſi hoc manifeſtum non ſit. Unde patet ſolam famam ſatis probare; ſi autem ſola fama probet, cur non & unicus teſtis, vel alia ſemiplena probatio? Certè juramentum ſponſalibus ſecundùm ſe nihil adjicit, & juxta eorum normam, validitatem, vel invaliditatem regulatur: Ergò ſi aliundè ſufficiens probatio inducitur, quâ ſponſalia ex diſpoſitione juris invalida cenſentur, non proderit, quod juramento ſint firmata, cùm probatio non juramentum, ſed ſponſalia afficiat. Ita doctè noſt D König *ad tit. de ſponſal. n.* 68. qui tamen fatetur, propter juramentum ſponſalibus appoſitum non omnem probationem recipiendam, quæ aliàs recipienda foret, juramento non appoſito v.g aſſertionem complicis propriam turpitudinem allegantis, vel teſtis aliàs ſuſpecti; cùm ſaltem in ordine ad ipſos contrahentes validiùs ligent ſponſalia jurata, quàm ſimpliciter contracta, conſequenter non tam facile ſint diſſolvenda, *per c. præterea* 12. *de ſponſal.* Quod autem plena probatio requiratur, ex illo non poteſt erui, ſed teſtem idoneum, aut aliam ſemiplenam probationem impedimenti ſufficere probat *c. ſuper eo* 2. *de Conſangu. & Affinit.* Interim illa fama non debet eſſe privata, nimirùm ut conſtet Judici ut privato, Anton. *in c. Cùm tua n.* 7. ubi Abbas *n.* 6 Alex. de Nevo *n.* 16. Præpoſ. *n.* 6. ex illa tamen privata fama habet jus ad inquirendum & recipiendam probationem de illa Abb & Alex. de Nevo, Sanchez *lib.* 1. *de ſponſal. diſp.* 71. *n.* 15. qui ſimiliter docent poſſe judicare juxta illud, quod Judici eſt notorium, quamvis id non probetur, ex textu & junctâ Gloſſâ *L.* 1. *C. Qui & adversùs Quos.* poteſt etiam Judex eâ famâ privatâ ductus, per ſe ipſum de plano, & ſine aliquo ordine judiciario diligenter de impedimento inquirere, ita Innocent. in *c. Cùm tua. n. un.* Card *n.* 2. Anchar. *n.* 3. Abbas *n* 5. Alex. de Nevo *n.* 7. Præpoſ. *n.* 7. Maſcard. *de probat. concl.* 1035. *n.* 13. unde Card. & Præpoſ. aſſerunt non eſſe opus, partem citare, nec facere, quod teſtes jurent, ita Sanchez *lib.* 1. *de ſponſal. diſp.* 71, *n.* 15. Fama autem etiam non ſufficit ad diſſolvenda ſponſalia, ſi adhibeantur de contraria fama clariores probationes, Gloſſa per illum text. *c. Cùm in tua Verb. famam* & ibi Anchar. *n.* 4. Abbas *n.* 3. Alex de Nevo *n.* 22. Præpoſ. *n* 4. Pariſius *Conſ.* 64. *n.* 24. *vol.* 3. *& conſ.* 23. *n* 242. Maſcard. *de probat. concl* 1035. *n.* 14.

59. *Quæres* 7. An ſufficiat teſtis vel fama, ſi allegetur alia cauſa, quâ exiſtente nullum eſſet peccatum contrahere matrimonium, puta, ſi ſponſus ad diſſolvenda ſponſalia alleget fornicationem, vel aliam notabilem mutationem? *Reſpond. Negat.*

Ratio

Ratio eſt: Quia quando agitur de alterius præjudicio, non ſatis eſt unius teſtimonium, *c. Licet ex quadam 47. c. Veniens 10. c. In omni Negotio 4. de teſtib. & Atteſtat. & L. ut juris-jurandi 9. C. de teſtib.* ſed hic agitur de præjudicio Juris alteri acquiſiti, ne fides ſibi præſtita impleatur: Et inſuper ab hac regula generali ſolùm excipitur, quando opponitur impedimentum matrimonii ratione peccati vitandi: Ergò extendi non debet ad caſum, ubi non agitur de peccato vitando, ſed de ſolo teſtis præjudicio. Tum quia quando agitur de alterius peccato probando, uti hîc de fornicatione ſponſæ vel ſponſi, teſtimonium duplicis teſtis requiritur juxta pleroſque DD.

Quæres 8. Quas qualitates debet habere teſtis, ut unicus impediat ſponſalia perfici? *Reſpond.* Talis teſtis debet 1. deponere, ſi enim ſolùm denunciet, non impedit matrimonium, niſi de fama probaret. 2. Debet jurare teſtis, parum enim creditur non juranti, per *c. Tua 8. de Cohabit Cleric.* Hoſtiens. Joan. Andr. Abbas Alexander de Nevo, Covarr Guttierez & ex his Sanchez *lib. 1. de ſponſal. diſp. 71. n. 10.* 3. Talis teſtis debet aſſerere poſſe cum juramento ſe certò ſcire impedimentum: de ſolo auditu teſtificans non impedit, quamvis alter teſtis ſimul cum eo abſque juramento de certa ſcientia deponeret: unde majorem fidem facit fama, vel unicus teſtis jurans, quàm duo teſtes, quorum unus cum juramento deponit cum auditu, alter verò abſque juramento de certa ſcientia, cùm hi duo non impediant matrimonium, quod tamen unicus teſtis vel fama impedit, dum teſtis ille jurat de certa ſcientia, Abbas *cap. 1. de Conſangu. n. 2. & 3* ubi Alex. de Nevo *n. 2* Præpoſit. *n. 6.* Covarr. *4. Decret. 2. p. c. 6. §. 10. n. 21.* Guttierez *q. can. L. 1. c. 11. n. 322.* Maſcard *de probat. concl. 1035. n 10.* Sanchez *lib. 1. de ſponſal diſp. 71. n. 11.* 4. Perſona teſtificans non debet eſſe vilis, quia tali non credendum ad diſſolvenda ſponſalia. Judex autem ante omnia debet conſiderare qualitatem perſonæ teſtificantis, ac alias circumſtantias, ut in *c. præterea* docent Hoſtienſ. Calderin. Joan. Andr. *n 4.* Ant *n. 8.* Anchar. *n. 4.* Gregor. Copez *L. 18. verb. de un. t. 9. p. 4.* Et *Ratio eſt*: Nam multum in Judicis arbitrio verſatur, quæ ſint veræ probationes, & quando teſtibus fides adhibenda, ut fusè docet Menoch. *de arbitr. L. 2. cent. 1. caſu 90.* 60

Quæres 9. Quomodo illa fama de impedimento dirimenti poteſt elidi? *Reſp.* ad deponendum contra hanc famam admittitur etiam conſanguineorum juramentum, per *c. Cum in tua 27.* ubi dicitur, *vel contra famam hujusmodi juramenta exhibeas propinquorum.* Imò hæc fama eliditur, ejusque probatio arbitrio Judicis, ſi contra illam, contrahere volentes jurent ſe non habere tale impedimentum dirimens, puta eſſe conſanguineos, &c. tunc enim Judicis arbitrio relinquitur juxta perſonarum qualitatem admittere hoc juramentum contra famam, ita Præpoſ. *in c. cit. n 4.* Menoch. *de Arbitr. L. 2. cent 3. cap. 2 & 3. n. 4. & caſ. 454. n. 1.* Maſcard. *de probat. concl. 1035. n. 16.* & idem de parentum juramento docent Menoch *ibid.* & Præpoſit. 61.

Quæres 10. An rumor de impedimento ſit ſufficiens ad dirimenda ſponſalia? 62.

Reſpond.probabiliùs Negat. Tum quia rumor minus probat, quàm fama, per *c.ſuper eo 5. de Conſangu.& Affinit.* Tum quia nullibi reperitur rumorem impedire matrimonium contrahi, unde ſervanda eſt regula generalis, ut omnes poſſint contrahere, qui non reperiuntur impediti, per *c.Cum apud 23. de ſponſal.& matr.* Gloſſa in *c.ſuper eo cit.* & ibi Card. Alex. de Nevo *n.8.* Sanchez *lib.1.de ſponſal.diſp.71.n.18.* Differt autem per hoc rumor à fama, quod fama dicatur, quando major pars viciniæ acclamat: rumor verò, quando aliqua pars, ut tertia, vel quarta, Hoſtienſ. in *c.ſuper eo cit.* Joan. Andr. *n.2.* Card. *n.1.* Abbas *n.3.* Alex de Nevo *n.3.* Præpoſit. *n.2.* Armilla *n.1.* & alii.

63. *Quæres 11.* Utrum confeſſio utriuſque, quod impedimentum ſubſit, diſſolvat ſponſalia, & illud ſufficienter probet? *Reſp.affirmat.* Licèt juramento firmata ſint, quia ſic mutuo conſenſu diſſolvuntur, dum quilibet fatetur impedimentum, & ſuam voluntatem reſiliendi declarat, Anchar. in *c.ſuper eo cit.n.4.* Abbas *n.5.* Menoch. *de Arbitr.L.2.cent.2.caſ.103.n. 2.* Maſcard. *de probat.concl.1035.n.17.& 18.* & alii.

64 *Quæres 12.* An ſufficiat ad diſſolvenda ſponſalia, ſi unus ex ſponſis confiteatur impedimentum latere? *Reſp. cum diſtinctione,* ſi is fateatur, qui vult matrimonium celebrari, & non alia pars, quæ non vult, ſufficiens eſt, & ſic rurſus utriuſque voluntate diſſolvitur: ſecùs ſi illa pars fateatur impedimentum, quæ recuſat matrimonium, hujus enim confeſſioni non eſt habenda fides, cùm ſit in ſuum favorem, & in præjudicium juris tertio acquiſiti, Menoch. & Maſcard. cum aliis *loc. ſupra cit.*

65. *Quæres 13.* Qualis certitudo cauſæ ſufficientis deſideratur pro foro conſcientiæ, ut licitè poſſint diſſolvi ſponſalia? *Reſp.* Sufficit illa quæ eſſet ſufficiens in foro externo: hinc ſufficit illi unicus teſtis de certa ſcientia ſibi jurans vel fama, quia hæc ſufficiunt pro foro externo, Sanchez *lib.1.de ſponſal diſp.73.n. 2.* qui etiam putat in foro conſcientiæ non eſſe neceſſarium Juramentum, ſi perſona teſtificans ſit fide digna, & de certa ſcientia teſtificetur, nec adſit ſuſpicio de mendacio. Imò ulteriùs aſſerit *n 3.* ſatis eſſe, ſi relatione aliorum, vel propriâ experientiâ cognoſcat quis ſponſam non fuiſſe virginem tempore ſponſalium.

ARTICULUS DECIMUS.

De Diſſolutione ſponſalium, quæ oriri poteſt ex ignorantia, ſeu errore.

66. QUæres 1. An ignorantia poſſit ſubminiſtrare cauſam recedendi à contractu ſponſalium? *Reſp. affirmat.* cum Communi DD. & omnis illa ignorantia, quæ eſt ſufficiens ad dirimendum matrimonium, abſque omni dubio eſt etiam ſufficiens ad ſponſalia diſſolvenda; quia longè faciliùs diſſolvuntur ſponſalia de futuro, quàm matrimonium de præſenti: hujus enim vinculum eſt fortius, quàm ſponſalium ſit, & ex diſſolutione matrimonii *de præſenti* graviora incommoda ſequuntur, quàm ex diſſolutione matrimonii *de futuro.*

Quæres

Quæres 2. Quænam præcisè ignorantia eſt ſufficiens, ut à ſponſalibus recedi poſſit? *Reſpond.* Talis, ſi nimirùm poſt contracta ſponſalia aliquid adveniat, quod, ſi alter eventurum ſciviſſet, nequaquam contraxiſſet, ſive quando jam illo tempore, quo contrahebantur ſponſalia, aliquid aderat, ſed ignorabatur, ſi autem ignoratum non fuiſſet, nunquam matrimonium promiſſum fuiſſet. *Ratio hujus eſt*: Quia in Jure paria ſunt, *non eſſe, & non apparere.* Item *aliquid ſupervenire, & præcedere, ſed ignorari*, ut ex *L.77.ff.de Contrah.empt.* cum aliis deducit Leſſius *de Juſtit.lib.2.cap.42.dub.7.* idque etiam procedit, licèt ſponſalia juramento fuiſſent roborata, Filliucius *tract.10.p.1.n.298.* & alii; quia Juramento promiſſorio ſemper tacita ineſt conditio: ſi res in eodem ſtatu permanſerint, *cap.Quemadmodum 25.de Jurejur.* Gloſſ & Abbas *ibidem.* 67

Quæres 3. An ſponſus teneatur in conſcientia ducere Bertam v.g. ſponſam, ſi interiùs verè ſentiat, ſi ſciviſſem illam ita eſſe pauperem, nunquam illam duxiſſem, nemo me adduxiſſet ad fidem matrimonialem ipſi dandam? *Reſpond. Negat.* cum Communi DD. 68.

Quæres 4. An etiam Judex teneatur taliter aſſerenti credere in foro externo? *Reſp. affirmat.* cum Sanche *lib.1.de matrim.di p.62.* Filliucio *n.292.* Gobat *exper.theol. tract.10. n.300.* ſive ſponſus hanc ſuam mentem fuiſſe ante contracta ſponſalia probet teſtibus, eò quod ante promiſſionem dixerit, illam ſuam ſponſam eſſe admodum opulentam, hancque opulentiam eſſe cauſam, cur illam præferat aliis: ſive quando Judex conſideratis omnibus circumſtantiis advertere facilè poteſt, ſponſum, ſi ſciviſſet illam paupertatem, ſponſæ nunquam fidem matrimonii dediſſe. *Ratio eſt*: Quia matrimonia debent eſſe libera, ſiquidem coacta ſolent triſtes eventus & infelices exitus gignere, ut quid ergò Judex compellet in ejusmodi caſu ad id, unde gravia mala timentur. Contrarium tamen aſſerendum eſt, ſaltem pro *foro externo* in illis locis, ubi ſpecialia vigent ſtatuta, ut ignorantia hujus vel illius qualitatis, eventus, caſus, &c. non admittatur, niſi fuerit in contractu ſponſalitio facta expreſſa illius mentio, quandoquidem poteſt Judex meritò de quibusdam etiam reddentibus notabiliter difficiliorem contractum dicere, *omiſſum in contractibus habetur pro omiſſo*, arg. *L.Veteribus placet 39.ff.de pact.* ut in hanc Legem obſervant Doctores. 69.

Quæres 5. An ſponſalia diſſolvi poſſint, eò quod ex dolo vel errore ſint contracta? *Reſp.* Cùm talis dolus vel error variè contingere poſſit in ſponſalium contractu, videndum eſt, an ille dolus vel error det cauſam contractui, vel non det, ſed tantùm in ipſo incidat. Dare dicitur error vel dolus cauſam contractui, quando quis ſecluſo illo errore & dolo, & veritate cognitâ non fuiſſet contracturus: ut ſi quis dolo venditoris deceptus emat aliquid, illud non empturus, ſi dolum reſciviſſet. Error vel dolus dicitur incidere vel non dare cauſam contractui, quando quis veritate cognitâ vel errore detecto talem contractu iniviſſet, ut ſi emptor dolo venditoris deceptus emat aliquid, adhuc tamen ſecluſo errore vel dolo em- 70

pturus

pturus, licèt fortè non tanti. Si itaque dolus ſeu error in ſponſalibus dedit cauſam contractui ſponſalitio, à ſponſalibus recedere licet, licèt error non intervenerit circa ſubſtantiam contractûs, aut perſonam, arg. *L.1 in pr. & §.1. & L. Et Eleganter 7. in princ. ff. de dolo malo*, ſecundùm quas omnes contractus bonæ fidei ex tali dolo initi irriti ſunt, Bartol in *L. & Eleganter cit.* Jaſon *Inſtit. de Act. §. ſactionum n.31.* Covarr. & alii. Talis dolus accidentalis dicitur cauſam dare contractui, ſi quis v.g. ſe fingat eſſe divitem, aut claro genere prognatum, cùm ſit inops, aut pauper, aut alieno ære obrutus, aut ex inceſtu natus, aut alia infamis perſona, & vice versâ ſi ſponſa hiſce utatur technis; aut ſi ſanum ſe prædicet alteruter ex deſponſatis, cùm leprâ, perpetuâ ſcabie, morbo comitiali, gallico, & alio contagioſo laboret: aut ſi parentes tenuioris fortunæ filiam indotatam locupleti locare cupiant, & fallaciis adoleſcentem ad dandam fidem de conjugio inducant, aut ſi lenæ puellam omnium lectiſſimam & caſtiſſimam deprædicarint, quæ tamen paſſim malè audit: his enim & ſimilibus caſibus à ſponſo vel ſponſa cognito dolo, ac compertâ fallaciâ ſponſalia, quamvis jurata ſint, vel coitu etiam confirmata, retractari poſſunt, non verò ipſo Jure nulla ſunt. Ita noſter D König *ad tit. de ſponſal. n.71 & ad tit. de dolo & contumacia n.15.* Coninck *de matr. diſp. 23. n.73.* Martin. Perez *diſp. 10 ſect. 1. n.3.* Quod ſi dolus vel error accidentalis contractui cauſam non dedit, ſed tantùm fuit incedens; ut ſi Titius v.g duxiſſet Bertam, etſi ſciviſſet illam eſſe pauperem, quæ tamen jactavit ſe eſſe divitem, ex hoc errore à ſponſalibus reſilire non permittitur, ita Sanchez *lib. 1. de ſponſal. diſp 65. n.2* Dicaſtillo *eod. tract. diſp 1. dubit. 23. n.339* & alii.

71. *Quæres 6.* Quid ſi Titiùs v. g Nobilis Rhenanus vel Franco Bertam v.g. item nobilem ſibi deſponſaſſet, deſponſatione factâ experitur Bertam non eſſe talis Nobilitatis, quæ in filiis futuri matrimonii requireretur ad Canonicatus illarum Cathedralium Eccleſiarum, an nimirum poſſunt hujuſmodi ſponſalia authoritate eccleſiaſticâ diſſolvi? *Reſp.* Quod ſi obtinens Canonicatum probare debeat ſuam nobilitatem per 16. gradus ex linea paterna, & per totidem ex materna vel per 8. ex paterna, & per 8. ex materna tunc ſi ſponſæ adhuc deſint tres vel quatuor gradus, certè non erit exiguus defectus, & levis mutatio, ac matrimonium notabiliter fieret gravius & difficilius, cùm ut plurimum in deſponſationibus ſimilis nobilitatis ſponſa quæri ſoleat, contrarium tamen dicendum eſſe putat Gobat *exper. theol. tract. 10. n.345* ſi ſponſæ unicus tantùm gradus ex linea paterna vel materna deeſſet.

72 *Quæres 7.* Quid Juris? quando error ſeu dolus dedit quidem cauſam contractui ſponſalium, dolus tamen ſeu error à nullo contrahentium fuit cauſatus, ſed ab aliquo tertio, qui unum è ſponſis decepit, an nimirùm ſponſalia ſint valida. *Reſpondet* Sanchez *lib. 1. de ſponſal. diſp. 64. n.5. affirmat.* deceptum nihilominùs habere jus illa diſſolvendi. *Ratio eſt:* quia alii contractus hujuſmodi dolo initi non ſunt irriti, ſed irritandi: cùm in illis non deficiat ſubſtantialis conſenſus, & circa ſubſtantiam contractûs.

ARTI-

ARTICULUS UNDECIMUS.

De Diſſolutione ſponſalium, quæ oriri poteſt ex lapſu termini, ſeu diei conventionalis ſponſalium contractui appoſiti.

QUæres 1. Quomodo poteſt ſponſalibus terminus ſeu dies certus præfigi? *Reſp.* dupliciter; vel enim præfigitur dies obligationi ſponſalium implendæ, ut ſcilicet nuptias promiſſas ad diem præfixum liceat differre, non autem ultra illum diem, ſicut ſolutioni debiti dies vel tempus præfigi ſolet, vel poteſt adjici terminus vel tempus obligationi ſponſalium finiendæ, ut ſi nuptiæ uſque ad ſtatutum diem alterius culpâ non fuerint ſecutæ, ſponſalitiâ obligatione alter non adſtringatur. 73.

Quæres 2. An ſponſalia diſſolvantur ipſo Jure lapſu temporis vel diei conventionalis ad finiendam eorum obligationem conventione ſponſorum expreſsè adjecti? *Reſp. affirmat. per c. ſicut 22. de ſponſal.* *Ratio eſt*: Quia promiſſio non obligat ultra intentionem promittentium, ut obligari velint ad terminum præfixum, & non ultra, eo termino tranſacto deſinit obligare illa promiſſio, ita noſtri DD. König *ad tit. de ſponſal. n. 69.* & Engel *ad tit. eund. §. 3. n. 9.* hinc ſequitur alterum ex ſponſis, ſine cujus culpa ſponſalia præfixo termino non ſunt impleta, ſolutum eſſe, Covar. *in Epit. lib. 4. decret. p. 1. c. 5. n. 8.* Sanchez *lib. 1 de ſponſal.* & alii DD. communiter teſte Pirhing *ad tit. de ſponſal. n. 46.* 74

Quæres 3. An ipſo Jure ſolvantur ſponſalia, ſi terminus tantùm appoſitus ad exequendam obligationem ſponſalium? *Reſp. Negat.* Hinc ſi dies, ſeu certum tempus, intra quod contrahi debeat matrimonium, v. g. ante proximum Adventum, ſit adjectum, hoc tempore elapſo non ſtatim expirat obligatio, cùm per diem adjectum contrahentes effectum obligationis ſolùm accelerare voluerint, ut communiter fieri ſolet per text in *c. Cum dilecti 6. §. præterea de dolo & contumacia.* Quia ut in *cit. c.* noſt Panormit. *n. 12.* advertit, ſponſalibus ita initis inſunt duæ obligationes, una ineundi matrimonium: altera iſtius contractum ultra præfixum diem non differendi. Licèt itaque poſterior obligatio deficiat temporis lapſu, manet tamen prior, utpote principalis, abſoluta, & ab altera impendens, arg *l. Celſus ait 23. § 1. ff. de Recept. qui arbitr. &c.* ſicut manet obligatio ſolvendi pecuniam, quæ ſtatuto die non eſt ſoluta, ita Alex de Nevo in *c. ſicut 22. de ſponſal. n. 8.* Sylveſter *V. ſponſalia, n. 1.* Brunellus *de ſponſal. concl. 8. n. 4.* ex Covarr. Sanche Wieſtner *ad tit. de ſponſal. n. 15.* Pirhing *tit. eod. n. 46.* 75.

Imò caſu quo terminus expreſſim ad finiendam obligationem, & tanquam conditio præfixus eſt, refert, num intra illum terminum matrimonium promiſſum

ſecu-

ſecutum non fuerit ex culpa alterutrius ſponſorum, an verò utriuſque, vel neutrius? Si ex unius tantum culpa, altero ad contrahendum parato; non ſimpliciter deſinit obligatio ſponſalium, ſed ex parte illius tantùm, qui ſine culpa eſt, quia per *eum non ſtetit, quin ad ſtatutum terminum matrimonium conſummaverit*, per *c. ſicut 22. de ſponſal.* Nec æquum eſt, ut alter ex iniquitate ſua cōmodum reportet, Wieſt. *ad tit. de ſponſ n.* 116. ex Alex de Nevo, Sanche, & aliis. Niſi ſponſalibus terminus ita ſtatutus eſſet, ut ultra eum, ex quacunque cauſa nuptiæ non fuerint ſecutæ, neuter alteri velit obligari.

Quod ſi per utrumque ſtetit, utrinque ſolventur ſponſalia: quia terminus ſponſalibus adjectus eſt ad hunc præcisè finem, ut ſi intra illum non perficiantur, nullum penitus habeant effectum, etſi uterque in ſponſalia ſervanda juraſſet, quia promiſſio, eique firmandæ adjectum Juramentum non obligat ultra conventionem & intentionem contrahentium, arg. *Reg. Contract. 85, & Reg. Acceſſorium 42. in 6.*

76. *Quæres* 4. Quid demum Juris? ſi per neutrum ſtetit, quin ſponſalia præfinito termino impleantur, v. g. Titius ſponſus eſt paratus nuptias die ſtatuto celebrandi, ſimiliter Berta v. g. ſponſa eſt parata, ſed huic ipſo die ſine ſua culpa ſupervenit legitimum impedimentum: eſtne Titius deobligatus à contractu ſponſalium? *R. affirmat.* cum Navarro *manual. cap. 22. n. 27. caſu* 11. Coninck *diſp. 23. dub. 6. n. 47.* Laiman *in Theol. mor. lib 5. tract. 10. p. 1. c. 2.* Palao *p. 14. n. 8.* Wieſtner *ad tit. de ſponſal. & matr. n. 117.* & noſt. D König *ad tit. eund n. 69.* *Ratio eſt*: Tum quia *c. ſicut 22. de ſponſal* ab obligatione liber pronuntiatur ille, per quem non ſtetit abſque diſtinctione vel exceptione, quod non fuerint impleta ſponſalia: ſed per Titium non ſtetit, quia erat paratus: Ergò. Tum quia *L. ſi convenerit 14. ff. pro ſocio* non tenetur actione, qui ſocietati renuntiat ob defectum conditionis, quâ illa contracta fuit: Ergò & Titius contractui ſponſalium renuntians, quia ita convenit. conventio non obligat ultra contrahentium intentionem, & ipſi nuptiarum omiſſio non minùs incommoda, periculoſa ac damnoſa eſt, quàm ſi fuiſſet culpabilis mora.

Dices 1. cum Paludano in 4. *diſt. 27. art. 3. n. 20.* Guttierez *de matr. cap. 24. n. 10.* Sanche *de matr. diſp. 53. n. 7* Pontio *de matr. c. 16. n. 4. in fine*, tempus non currit legitimè impedito, per *c. Quia diverſitatem 5. de Conceſſ. prebend.* Legitimè autem impeditus eſt is, cujus mora eſt ſine culpa, ut eſt Bertæ, cùm per illam non ſtet, quo minùs nuptiæ celebrentur, ſupponimus legitimè eſſe impeditam impedimento non amovibili quod tamen ad alterum ab obligatione eximendum exigitur, *per c. ſicut 22. de ſponſal. Reſp. Diſt.* tempus legitimè impedito non currit ad contrahendam pœnam legalem, aut conventionalem arg. *c. Quia diverſitatem, &c. Conc.* ad tollendam obligationem, ſi illo lapſo deficiat conditio cui promiſſio eſt alligata. *Neg.*, ob deciſionem *cap. ſicut & L. convenerit cit.* ſponſalia enim tunc non in pœnam, ſed ob defectum conditionis ceſſant.

Dices 2. In *Regula 66. de R. J. in 6.* dicitur: *Cum non ſtat per eum, ad quem pertinet, quo minùs conditio impleatur, haberi debet perinde, ac ſi impleta eſſet*: Atqui non ſtetit per Bertam: Ergò. *Reſp.* hanc regulam raro habere locum in contractibus, ut ex ipſis Adverſariis teſtatur Sanchez *lib. 1. de matr. diſp. 33. n. 22.* & de Ƈtè advertit noſt. D. König *ad tit. de ſponſal. n. 69.*

Quæres 5. Quid ſi tempus deſignetur à Judice perficiendis ſponſalibus ob imminens periculum fornicationis, quod Judex in hoc caſu facere poteſt per *c. Ex publico 7. de convers. conjug.* an inquam tempore elapſo poſſit is, per quem non ſtetit, aliud inire matrimonium? *Reſp. affirmat.* cum Sanche *lib. 1. de ſponſal. diſp. 53. n. 9.* Præpoſit. *in c. de illis de ſponſal. n. 5. caſu 5.* *Ratio eſt*: Quia terminus cenſetur appoſitus obligationi finiendæ, ne diutiùs cum fornicationis periculo nuptiæ protrahantur. 77

ARTICULUS DUODECIMUS.

De Diſſolutione ſponſalium, quæ oriri poteſt ex diſparitate inter contrahentes.

QUæres 1. An notabilis contrahentium ſponſalia diſparitas illa irritet, vel ſaltem juſtam cauſam præbeat irritandi, quando contrahens conſcius erat conditionis alteris? *Reſp. Negat.* *Ratio eſt*: Contrahens enim eſt Dominus rei promiſſæ, & quia ipſi conſtabat notabilis exceſſus, videtur liberè voluiſſe cedere Juri ſuo, & liberaliter exceſſûs donationem facere, Veracruz *3. p. ſpecul. art. 19. concl. 2.* Corduba *in quæſtionar. l. 1. q. 13. dict. 1.* Molina *tom. 2. de Juſt. tract. 2. diſp. 271. ſ. 113.* ex his Sanchez *lib. 1. de ſponſal. diſp. 14. n. 2.* qui cum Molina ibidem ulteriùs ait, licèt puella nobilis & dives malè faciat ſponſalia contra patris voluntatem cum ignobili aut paupere contrahendo, eò quod executio eſſe nequeat ſine aliorum ſcandalo, & ipſius puellæ dedecore, & ita prodigè, & cum peccato promiſerit, illam nihilominùs teneri ad fidem ſervandam, & neminem audere affirmare oppoſitum, eò quod ſit contra praxin Eccleſiæ hujusmodi fidem ſervare cogentis. 78.

Dices 1. cum Soto, Bannec, Manuel & aliis, ſi quis prodigè meretrici ſpondeat pro uſu corporis, non tenetur ita implere prodigè, cùm ſit peccatum, idque etiam licèt promiſſio Juramento firmetur: Sed promiſſio matrimonii facta notabiliter impari eſt prodiga; Ergò non obligat. *Reſp.* talem promiſſionem poſſe dici eſſe peccatum ex parte modi promittendi, non ex parte rei promiſſæ, quia licèt promiſſio ex liberalitate proceſſerit, executio tamen non eſt ex liberalitate, ſed ex debito: cùm autem in executione nulla ſit prodigalitas, ſed debiti impletio, tenetur in utroque foro integrè implere, non obſtante hoc, quod promiſſio prodigè & cum peccato mortali facta ſit, ita Sanchez *loc ſupra cit. n. 5.*

Dices 2. Quoties in contractu eſt notabilis deceptio, omni Jure reſcindendus

eſt.

eſt. *Et ſi dicas* non eſſe deceptionem, quia contrahens noverat inferiorem alterius conditionem. *Contra*: Quia promittens immodicum per modum pretii & contractus, non tenetur totum ſolvere, ſed juſtum & æquale pretium: Sed qui ſpondet notabiliter impari, immodicè promittit, & non gratis, ſed per modum contractûs: Ergò non tenetur. *Reſp. Nego ſuppoſitum*, quod contrahens cum notabiliter impari decipiatur, eò quod ſupponitur habuiſſe notitiam alterius. Nec inſtantia in contrarium oppoſita eſt ad rem, eò quod non promiſſio matrimonii contigerit per modum pretii, ſed ex liberalitate.

79. *Quæres 2.* Quid ſi ex promiſſione matrimonii factâ notabiliter impari timeantur magna ſcandala, an non tunc ſaltem reſcindi poteſt? *Reſp. affirmat. Ratio eſt*: Quia virtus Juſtitiæ obligare nequit ad actum, qui ſine peccato impleri non poteſt, ſed contrahere matrimonium cum magno illo ſcandalo, eſt manifeſtè mortale peccatum, cùm per illud notabiliter charitas proximi lædatur, & parentum pietas & cognatorum amicitia. Idque colligitur etiam ex *c. Cum in tua 27. de ſponſal.* ubi dicitur: ſi *de fama, vel ſcandalo* conſtet, interdicendum eſſe matrimonium, & ita docet Gloſſa *V. ſcandalo*, noſter Panormit. *ibi n.4.* Alex. de Nevo *n.6.* Præpoſ. *n.3* ubi etiam hanc doctrinam extendunt docentes: Judicem poſſe & debere interdicere matrimonium, quoties ſcandalum timetur etiam inter contrahentium conſanguineos, Felin *conſ. 26. n.21.* Navarr. *ſum. c.16. n.18.* Menoch. *conſ. 1. n.44.* Guttierez *lib 1. q. canon. c. 20. n. 20 & 23.* idque etiam verum eſſe ajunt Navarrus, Guttierez, Corduba, Capua. Lud. Lop. etſi ſecuta eſſet virginis defloratio ſub ſpe matrimonii futuri: Imò etiam quoties adeſt timor probabilis peſſimi exitûs, ut odii capitalis inter ipſos contrahentes. Cautè tamen conſiderandum eſt hoc ſcandalum; non enim quodcunque ſufficiet; ſæpè enim vanæ minæ jactantur, & terrores opponuntur, & diſcordiarum pericula intentantur, quæ tamen experientiâ teſte, ubi deferbuit ille impetus & matrimonium celebratur, in nihilum recidunt, & facilè animi conciliantur, & ſedatur omnis tempeſtas.

ARTICULUS DECIMUS TERTIUS.

De Diſſolutione ſponſalium, quæ oriri poteſt ex notabili mutatione præcedente, vel ſubſequente, v.g. fornicatione.

80. Q*Uæres 1.* An generaliter à ſponſalibus poſſit recedi, quando ex parte alterius notabilis mutatio ſupervenit, aut ſaltem ex poſt facto talis rerum ſtatus detegitur, ut ſi res tempore contractûs ſponſalium ita fuiſſet, ſponſus non fuiſſet contracturus, licèt nullus dolus, ſed ſola ignorantia intervenerit? *Reſpond. affirmat.* cum Sylveſtr. *V. ſponſalia q. 10. caſ. 17.* Layman *L. 5. tr. 10. p. 1. c. 2. n. 15.* Gobato *exper. theol tract. 19. n. 293.* Pirhing *ad tit. de ſponſal. n. 63.* *Ratio eſt*: Tum quia promiſſio non obligat ultra

ultra promittentis intentionem; nemo autem præſumitur ſe obligare voluiſſe ad talem caſum difficilem non præviſum, nec generali obligatione videntur illa concluſa, de quibus non eſt cogitatum, aut quæ ſcita impediviſſent obligationem, *c. Veniens* 16. *de Jurejur.* Zoës *ad tit. de ſponſal. n.* 46. *Cum in jure paria ſint non eſſe, & non apparere*, per *L. duo ſunt* 30. *ff. de teſtament. tut. l.* Gailio *L.*1. *Obſervat.* 105. *n.* 14. *& aliquid ſupervenire & præcedere, ſed ignorari*, per *L in Lege* 77. *ff. de contrah. empt.* Hinc notabilis mutatio primùm apparens perinde habetur, ac ſi de novo ſuperveniret, illaque conditio tacita ineſt ſponſalibus, *niſi notabilis & matrimonii ſtatum notabiliter difficiliorem reddens circumſtantia appareat.*

Quæres 2. An quælibet notabilis mutatio ſuperveniens, vel jam tum præcedens, ſed ignorata, tribuat Jus ſponſalia jurata diſſolvendi? *Reſp. affirmat. Ratio eſt*: Quia Juramentum includit omnes conditiones contractûs, cui adjicitur, per *L. fin. C. de non numerata pecun.* & habet hanc tacitam conditionem ſubintellectam: *Si res in tali ſtatu permaneant, aut ſi res ita ſunt, uti apparent*, arg. *c. Quemadmodum* 25. *de jurejur.* 81.

Quæres 3. Utrum in hoc eventu, & in aliis, in quibus licitum eſt diſſolvere ſponſalia ob cauſam præcedentem ignoratam, vel ſupervenientem, ſi ſint Juramento confirmata, priùs ſit petenda Juramenti relaxatio ante diſſolutionem ſponſalium? *Reſp. Negat. Ratio eſt*: Quia Juramentum continens conditionem, illâ non impletâ non obligat, nec relaxatione indiget, cùm illud ſequatur naturam contractûs, & ejus conditiones, arg *L. fin. C. de non numerat. pecun.* ſponſalia inſuper habent hanc tacitam conditionem ſibi adjectam, *ſi res in eodem ſtatu permanſerint*, id eſt, ſi cauſa non ſupervenerit, aut præcedens jam cognoſcatur, quæ ſit legitima ad illa diſſolvenda. Sic *cap. Quemadmodum ſupra cit.* deciditur, abſque perjurio à ſponſalibus juratis poſſe reſiliri ob fornicationem ſubſequentem, qua ſubintelligitur conditio, ſi alter *contra regulam deſponſationis non venerit.* 82.

Dices: Ergò omnia ſponſalia erunt conditionata, quia tacitam includunt conditionem, quod tamen eſt abſurdum, ſiquidem ex nullis ſponſalibus, utpote omnibus conditionatis, oriretur impedimentum publicæ honeſtatis, cùm deficiente conditione dirimantur per *c. unic. de ſponſal. in* 6. *Reſp. Nego illatum*, quia conditio tacitè ſubintellecta non reddit actum conditionalem, arg. *L. Conditiones* 99. *ff. de Condit. & demonſtr.* Verum quidem eſt, Juramentum rei licitæ obligare, donec relaxetur, niſi deficiat conditio expreſſa, vel tacitè ſubintellecta.

Quæres 4. An ſponſo vel ſponſæ aſſerenti ſe non fuiſſe contracturam ſponſalia, ſi talis cauſa à principio extitiſſet, vel mutatio fuiſſet cognita, in utroque foro ſit fides habenda? *Reſp. affirmat.* Modò id veriſimiliter Judici videatur, quia in his, quæ ad animum pertinent, ut ſunt ſcientia, ignorantia, intentio, &c. ſtandum eſt cuivis Juramento, ſi alio modo probari non poſſint, Covarr. *L.* 2. *reſol. c.* 10. *n.* 1. § 3. Pirhing *ad tit. de ſponſal. & matr. n.* 63. 83.

84 *Quæres* 5. An ex parte ſponſi poſſint ſponſalia etiam jurata reſcindi propter ſupervenientem fornicationem ſponſæ? *Reſp. affirmat.* Tum quia notabilis mutatio intervenit; Tum quia contra regulam deſponſationis venitur; Tum quia ignominioſum eſt viro ducere fœminam corruptam; Tum quia in hoc caſu diſſolutionem ſponſalium invitâ alterâ parte licere ſtatuitur, *in c. Quemadmodum 25. de jurejur.*

85. *Quæres* 6. An ſtuprum violentum, & ſi ſponſa vi oppreſſa ac cognita ſit, ſufficientem cauſam præbeat, ut contracta ſponſalia reſcindantur? *Reſp. affirmat.* & ad inſtantiam ſponſi à Judice diſſolutio ſponſalium permittenda eſt, per *can. Raptor 33. cauſa 27. q. 2.* idem docet noſt. Panormit. in *c. Quemadmodum 25. de jurejur.* & noſt. D König *ad tit. de ſponſal n.* 72. Covarr. *4. decret. 1. p. c. 5. n. 2.* Zoës *ad tit. de ſponſal. n* 41. *Ratio eſt*: Tum quia notabilis mutatio intervenit, omnibus autem actibus, ac conventionibus hæc tacita ineſt cõditio, *rebus ſic ſtantibus, ſeu in eodem ſtatu, quo fuerunt tempore contractùs, ſive ſi res in eodem ſtatu maneat, quo fuit, cùm ſtipulatio interponeretur. L. Cum quis 38. princ. ff. de ſolut. & libertat.* Tum quia in magnum ſponſi dedecus redundaret, habere uxorem ab alio, quamvis invita fuerit, cognitam, & difficile eſt, alienam prolem pro ſua alere.

Dices 1. *c. Quemadmodum 25. de jurejur.* dicitur, fornicationem ſponſæ eſſe cauſam ſufficientem diſſolvendi ſponſalia, ſi voluntariè in talem fornicationem conſenſerit; quia ſponſa vim paſſa non poteſt dici fidem fregiſſe ſponſo, ac deliquiſſe, cùm vis illata, ut non parit conſenſum, ita crimen ſecum ferre nequit, per *c. 2. & 4. cauſ. 32, q. 5* *Reſp. in c. Quemadmodum cit.* non eſt facta adæquata enumeratio omnium rationum, ex quibus ſponſalia ob fornicationem ſubſequentem diſſolvi poſſunt, ſed tantùm aliquarum; quibus eſt addenda notabilis mutatio ex parte ſponſæ, quæ ex copula etiam coacta naſcitur, dum ſponſus ſponſam ſine nota infamiæ ducere nequit, & periculo exponitur prolem alienam pro ſua alendi. Nec obſtat text. *in c. 46. cauſ. 27. q. 2.* hic enim juxta gloſſam *ibid* agit de puellis de præſenti deſponſatis. Ita noſt. D. König *ad tit. de ſponſal. n. 72.*

86. *Quæres* 7. Utrum ſponſus etiam reſilire poſſit à ſponſalibus, ſi ſponſa ante ſponſalia contracta fuerit fornicata, quæ fornicatio poſtea innoteſcit? *Reſp. affirmat.* cum Guttierez *de matr c. 34. n. 2.* Pirhing *ad tit. de ſponſal. n. 62.* Carpzov. *Juriſpr. Conſiſtor. 2. def. 188.* Struv. *exerc. 29. lib. 23 tit. 1. de ſponſal. n. 14.* & noſt D. Engel *ad tit. de ſponſal §. 3. n. 11.* *Ratio eſt*: Quia in Jure paria ſunt aliquid ſupervenire, & præcedere ignoranter; res etenim dicitur fieri, quando primò innoteſcit, arg. *c. paſtoralis 4. de Exceptionib. & L. in Lege 77. ff. de contrah. empt.* Ergò ſicut ſponſus poteſt recedere à ſponſalibus ob fornicationem ſubſequentem ſponſæ, ita poteſt recedere ob fornicationem præcedentem, ſi illa non fuerit antecedenter cognita.

Dices cum Paludano: in *c. Quemadmodum 25. de jurejur.* expreſsè deciditur, *ſi quis juraverit ſe ducturum aliquam in uxorem, non poteſt ei fornicationem opponere præcedentem, ſed ſubſequentem*: Ergò fornicatio non præcedens, ſed ſubſequens ſponſalia, eſt cauſa diſſolutionis

lutionis ſponſalium. *Reſp. hoc caput cit.* loquitur tantùm de illo caſu, quando ſponſus tempore ſponſalium reſcivit fornicationem, vel quando notitiam adeptus ante contractum matrimonium, nihilominus ſponſam carnaliter cognovit; tunc enim eandem ulteriùs ſponſæ objicere non poteſt, & *quod ſemel placuit, amplius diſplicere non debet*, arg. *L. 13. §. ult.* ibi: *ſerò enim accuſat mores, quos uxorem ducendo probavit*, *L. 40. ff. ad Leg. Jul. de Adulter.* Imò ne quidem ſponſus tenetur ducere viduam inhoneſtam, etſi ſciverit eſſe viduam, dummodo ejus fornicationem præcedentem ignoraverit: quia & vidua ratione fornicationis, præſertim iteratæ, reddita eſt vilis ac impudica, qualem ducere ſponſo eſt dedecori. Navarrus *in ſumma c. 22. n. 17.* & alii.

Quæres 8. An quoque ſponſa competat jus reſiliendi ob fornicationem ſponſi commiſſam poſt ſponſalium contractum? *Reſp. affirmat. Ratio eſt*: quia licèt *c. Quemadmodum 25. de Jurejur.* tantùm loquatur de fornicatione ſponſæ, ratio tamen ibidem allata prorſus eſt eadem: nam etiam in promiſſione ſponſo factâ à ſponſa talis debet conditio ſubintelligi; *ſi is contra regulam deſponſationis non venerit, alioqui frangenti fidem, fides ſervanda quoque non erit.* 87.

Quæres 9. An idem Jus competat ſponſæ, ſi ſponſus ante contractum ſponſalium commiſit fornicationem, ſi illam demum experiatur? *Reſp. Negat.* cum noſt. D. König *ad tit. de ſponſal. n. 73.* Bonacin. *de matr. q. 1. punct. 8. n. 1.* & aliis. *Ratio eſt*: quia ſponſus per præcedentem fornicationem nec fidem fregit, cùm fides tunc nondum data fuerit, nec grave dedecus ingerit ſponſæ, cùm non æquè ignominioſum ſit fœminæ nubere viro, qui aliam cognovit, ac probroſum eſt viro ducere corruptam. Hæc omnia intellige regulariter, nam aliud eſt, ſi ſponſus ſæpius fuiſſet fornicatus, & multis permixtus, ac vitio huic valde addictus, ſic ſponſæ ſit valde vilis, infamis ac ſuſpectus de non ſervanda fide conjugali. Tali jure dici poſſe, *res tuas tibi habe*, docent Sanchez *de ſponſal. diſp. 63.* Tamburin. *tract. 3. de matr. cap. § 5.* ex his Gobat *exper. theol. tract. 10. n. 302.* 88.

Quæres 10. An quoque à ſponſalibus ſponſo, aut ſponſæ reſilire liceat, ſi uterque poſt contracta ſponſalia fornicationem commiſit? *Reſp.* tali caſu poteſt quidem reſilire ſponſus, non verò ſponſa. Ita noſt. D. Oberaſcher *de Sacram. p. 2. tr. 2. c. 1. §. 5.* & noſt. D König *ad tit. de ſponſal n. 73.* Guttierez *de matr. c. 31. n. 4* & Sanchez *lib. 1. diſp. 55. n. 9.* Diana *p. 3. Reſolut. 283.* Pirhing *ad tit. de ſponſal. n. 62.* Zoës. *ad eund. tit. n 40.* *Ratio eſt*: tum quia deteſtabilior eſt libido ſponſæ, quàm ſponſi, & ſponſam multò viliorem reddit, quàm ſponſum, ut eruditè oſtendit Tiraquellus *Connub. L 1. n. 45.* & ideò quoque oſcula, amplexus aut tactus impudici ex parte ſponſæ, non verò ex parte ſponſi admiſſi Jus reſiliendi tribuunt. Tum quia ex fornicatione grave damnum ſponſo imminet propter partûs ſuppoſitionem, & longè major ignominia eſt ducere defloratam, quàm fornicatori nubere. 89.

Dices cum Paludano *in 4 diſt. 27. q. 1. a. 3. n. 17.* & Bonacina *de matr. part. 1. punct. 8. n. 6.*

 delictum

delictum fornicationis unius compenſatur cum delicto alterius, per *c. intelleximus* 6. *de adulteriis*, & periniquum eſſe videtur, ut pudicitiam vir ab uxore, vel ſponſa exigat, quam ipſe non exhibet. *L. ſi uxor* 13. §. 5. *ff. ad Leg. Jul. de adult.* *Reſp.* falſum eſt dari talem compenſationem, cùm delicta non ſint paria, cùm plus mali ac infamiæ ſecum trahat fornicatio ſponſæ, quàm ſponſi, uti ſupra oſtendimus.

90 *Quæres* II. Quænam & qualis probatio ſtupri, ſeu fornicationis requiritur ad hoc, ut ob illam ſponſalia diſſolvi poſſint? *Reſp.* cum noſt. D König *ad tit. de ſponſal. n.* 74. debet de ſtupro, ſeu fornicatione conſtare, vel ex indubitatis indiciis, puta, deprehenſione in rebus venereis, uteri geſtatione, & partûs excluſione, vel per ipſius vitiatæ propriam confeſſionem, vel per teſtes fide dignos, & alias plenas probationes, arg. *L. fin. C. de probat.* ſponſam namque fuiſſe, & eſſe virginem præſumitur, donec contrarium plenè probetur, ita noſt. Panormit. *in c. 1 de Adulter.* Zypræus *de ſponſal. c. 13. §. 50. & 51.* Schneidevin *ad Inſtit. de Nupt. c. 4. n. 61.* niſi tamen vel infamatio communis de fornicatione per ſe gravem mutationem ſecum trahat, tunc quippe citra plenam probationem ſponſalia diſſolvi poſſe notat Zypræus *de ſponſal. Conſultat.* I. adjecto ſalubri monito, ne Judex rumores & detractiones malitioſè matrimonium impedire volentium pro fama & infamia recipiat.

ARTICULUS DECIMUS QUARTUS.

De Diſſolutione ſponſalium, quæ oriri poteſt ex abſentia ſponſi, vel ſponſæ.

91. QUæres I. An ſit locus diſſolutioni ſponſalium, ſi ſponſus vel ſponſa ſe transfert in partes remotas? *Reſp. affirmat.* per *c. de illis* 5. *de ſponſal.* idque omninò certum eſt, ſi certum tempus adjectum ſit ſponſalibus, & illo elapſo ſponſus ſine juſta cauſa abfuerit, tunc ſponſa poterit cum alio matrimonium contrahere, quia tunc dies adjectus interpellat pro homine, & ſponſum in mora conſtituit, *L. Magnam C. de contrah. ſtipulat.* ſi autem nullum certum tempus adjectum fuerit, relinquitur omninò arbitrio Judicis, per quod tempus ſponſa teneatur exſpectare ſponſum, Gonzalez *ad tit. de ſponſal. & matr. in c. 5. h. t. n.* 3. Et inſuper requirunt Juris interpretes, ut diſceſſus fiat ſine alterius partis deſponſatæ conſenſu, ſine juſta cauſa, & cum nulla aut tenui ſpe proximi reditûs, ſi enim ſponſus conſentiente ſponsâ peregrè abiverit, intra tempus abſentiæ, de quo inter eos conventum, ſponſalia reſcindi non poſſunt, eſt communis DD. Imò ſi certum tempus reditûs præfixum non ſit, & remanenti parti longinquitas itineris, ac difficultas expeditionis perſpecta fuerit, exſpectandus eſt reditus ſponſi, vel ſponſæ, licèt abſentia aliquando diuturnior ſit, cùm diſceſſus animo redeundi factus tacitam ſponſalium renuntiationem non inducat, nec vota ſua diutiùs eludi jure conqueri poſſit pars remanens, quæ peregrinationi conſenſit, Canis. *in Comment. ad c. de illis* 5. *cit.* & noſt. D. Kön. *ad tit. de ſponſal. n.* 69.

Quæres

Quæres 2. An detur locus diſſolutioni ſponſalium, ſi ſponſus ex juſta cauſa diſceſſerit, v.g. ſi in militiam patriæ defendendæ cauſa ad juſſum Principis profectus fuerit, ſi in captivitate ab hoſtibus detineatur, ſi metu prædonum deterritus, ſi tanquam Principis & Reipublicæ legatus, ſi ob mortem, aut accuſationes criminum capitalium amicis, vel perſonis conjunctis intentatas impeditus, intra breve ſpatium reverti, & ſponſalia perficere non poſſit? *Reſp.* Sponſa tenetur tunc ſponſum exſpectare, non tantùm brevi tempore, ſed etiam longiori, quod Judicis arbitrio relinquitur, ut etiam ad biennium, & ultra extendere poterit, Hoſtiens. *in ſumma eod.n.*3. Joan. Andr. *in c.de illis n.*6. Menoch *de arbitr. Judic.lib.*2.*cent.*5.*caſ.*455.*n.*7. perpendet autem Judex circa definitionem temporis abſentiæ moram, & ſponſæ ætatem, ut bene monet noſt. D. König *L.cit.* ne aut illi nubendi tempus opportunum pereat, aut incidat in periculum incontinentiæ; non enim quævis ſponſa eſt Penelopæ ſimilis, quæ Uliſſem peregrinantem per 20. annos exſpectavit. Idem dicendum, ſi ſponſus ſtudiorum causâ aliô ſe transferat, quia tales terram propriè non dimittunt, arg. *L.clam poſſidere* 6.§.*fin.ff.de acquir.vel amitt.poſſ.* & *L. Nec ipſi* 2.*C.de Incolis*, quod tamen Papa in *c.de illis* 5.*de ſponſal.* requirit. 92.

Quæres 3. An diſtinctio, quam in cauſa abſentiæ edidit, Jus civile ſit attendenda in ordine ad diſſolvenda ſponſalia? *Reſp. Negat.* Jus civile abſentiæ cauſam diſtinxit aliam in voluntariam, aliam in neceſſariam; & ſtatuit, quod ſi ſponſus abſit ex cauſa voluntaria, & intra provinciam is ſit exſpectandus biennio, per *L.ſi is* 2. *C.de ſponſal.* & ſi extra provinciam, triennio, per *L.liberum* 2.*C. de Repudiis.* Si autem abſens ex cauſa neceſſaria, v.g. ob mortem parentum, vel aliud magnum negotium expediendum ſit, quadriennio, & ultra exſpectandus eſt, donec cauſa ceſſet, per *L.ſæpe* 17. *ff.de ſponſal.* Brunneman in *L.ſi is cit. à n.*2. Canis. in *c.de illis de ſponſal.n* 2. Non, inquam, hæc diſtinctio ad rem facit, aut afficit ſponſalia, cùm nullo modo poſſit dici, quod Jure civili ad ſponſalia licitè diſſolvenda requiratur biennium, aut longius tempus, cùm illa juxta illud ſtatim poſſint diſſolvi per ſolum diſſenſum, aut renuntiationem ſponſæ per *L.*1.*C.de ſponſal.* Ad hoc tamen hodie adhuc valet hæc diſtinctio, ut ſi ſponſa exſpectaverit illo tempore, non tantùm poſſit renuntiare, ſed & arrhas à ſponſo datas retinere, & ſi ſponſus fuerit inculpabilis ad exequendam obligationem ſponſalium, datas arrhas repetere poſſit, ita ex Pontio, Palao, Wieſtner *ad tit. de ſponſal & matr.n.*120. hinc fruſtraneè à Canoniſtis in hoc puncto correctio Juris civilis aſſeritur per *c.de illis* 5.*de ſponſal.* a Jure Canonico, cùm in diverſa materia verſentur, & Jus Canonicum agat de diſſolvendis ſponſalibus, & Jus civile de reddendis arrhis, vel non. 93.

ARTICULUS DECIMUS QUINTUS.

De Diſſolutione ſponſalium, quæ oriri poteſt ex mutatione facta ex parte animi.

Quæres

94 QVæres 1. An ſit ſufficiens cauſa diſſolvendi ſponſalia, ſi aleruter ex deſponſatis poſt celebrata ſponſalia à religione catholica in perverſam ſectam, aut hæreſin deſciſcat? *Reſp. affirmat.* arg. *c. fin. de convers. conjug. & c. Quæſivit 2. de divortiis*, ſi enim ob hæc vitia ſecundùm *cap. cit.* permittitur divortium, multò magis ſolvent ſponſalia, idem docent noſtri DD. Wex *de ſponſal. p. 1. §. 7.* & König *ad tit. de ſponſal. n. 76.*

95. *Quæres* 2. An quoque ſit locus diſſolutioni ſponſalium, ſi alteruter ex deſponſatis committat crimen læſæ majeſtatis, veneficium, latrocinium, homicidium, adulterium, falſum, rapinam furtum, & aliud id genus crimen, ex quo infamia Juris, aut facti irrogatur? *Reſp. affirmat. Ratio eſt*: Quia innocens ſibi integræ famæ ſponſum vel ſponſam deſpondit, & illâ intentione fidem dedit, ut honeſto vel honeſtæ conjungeretur, per L. 5 *C. de ſponſal.* & L. 8. §. 2. *C. de repud.* Guttierez *de matr. c 32. n. 3.* noſt. König *ad tit. de ſponſal. n. 76.* Nec intereſt, an vitia enumerata fuerint callidè diſſimulata ante ſponſalia contracta, ſive an poſt contracta ſupervenerint, Matth. *ff. 2. th. 11. 19. 20.* Struv. *Exerc. 39. lib. 23. tit. 1. de ſponſal n. 14. in fine.* Adde & caſum, quo ſponſus proſcribitur patriâ, ſeu bannitur, Novarrus *de ſponſal. conſ 9.*

96. *Quæres* 3. Quæ ſunt ulteriores mutationes animi diſſolutionem ſponſalium cauſantes? *Reſp. primò*, ſi ſponſus ex ſobrio fiat ebrioſus, prodigus, aleator, &c. aliisque vitiis deditus, Sanchez *lib 1. de matr. diſp. 63. in fin* Coninck *diſp. 23. dub. 8. n. 67.* noſt. König *loc. cit. n. eod.* *Secundò*, ſi ſponſus ſeverus & aſper moribus appareat; nam ſi mulier poſſit ob ſævitiam divortium matrimonii petere à fortiori diſſolutionem ſponſalium; *Nam cui licet, quod eſt plus, licet utique, quod eſt minus*, per *Reg 53. in 6.* *Tertiò*, ſi inter ſponſos implacabile odium, ut ſi alterutra pars ex ſponſis dicat ſe malle quodlibet pati, quàm huic matrimonio jungi, tunc enim abſtinendum eſſe à coactione, decidit S. Congregatio Cardinalium apud Dianam *part. 11. tract. 2. Reſol. 70. ſub fin.* nec eſt opus, ut Judex talem averſionem judicialiter, ſed etiam ſatis eſt, ſi extrajudicialiter noverit, Diana ex Sanche & Jordano *loc. cit.* *Quartò*, ſi graves inimicitiæ poſt contracta ſponſalia inter parentes, aut propinquos ſponſorum ſubortæ ſint, ita ut veriſimile ſit nuptias futuras eſſe cauſam daturas cædibus, adulteriis, perpetuis rixis inter parentes & conſanguineos, & ipſos conjuges. Tunc enim melius eſt in tempore occurrere, & ſponſalia reſcindere, quàm ſponſos cum magno ſuo damno ad ineundum matrimonium adigere, per *c. 2. & 17. de ſponſal.*

ARTICULUS DECIMUS SEXTUS.

De Diſſolutione ſponſalium, quæ oriri poteſt ex mutatione facta in bonis corporis.

97. QVæres, quæ ſunt cauſæ diſſolventes ſponſalia, provenientes ex mutatione facta in bonis corporis? *Reſp.* ſunt ſequentes. *primò*, ſi alterutra pars ex ſponſis reperiatur leprâ correpta, paralyſi, epilepſiâ, lue gallicâ, phtyſi, phreneſi, ſive perpetuò durante, ſive per intervalla redeunte, & alio morbo contagioſo, per *c. Quod propoſuiſti*

peſuiſti 18. cauſ. 32. q. 7. c. fin. de conjug. leproſ. idem ſentit de hydrope, graveolentia oris, quæ medicinâ tolli non poteſt, Patrit. Sporer *de matr. n. 217.* Tamburin. *tract. 3. de matr. cap. 5. §. 8.* qui ulteriùs ex Pontio *lib. 12. cap. 17.* ſuſpicionem gravis infirmitatis, & incurabilis putat eſſe ſufficientem, aliud eſt dicendum, ſi morbus curabilis ſit, v. g. febris quartana, &c. *Secundò*, ſi alterutra pars ex ſponſis patiatur paſſionem herniacam, ita ut non poſſit ſuos labores ruſticos exercere, aliud eſt dicendum in mercatoribus, Nobilibus, aut artificibus vitæ ſedentariæ, Gobat *exper. theol. tract. 10. n. 302.* *Tertiò*, ſi ſponſa ſterilis eſſe deprehendatur, eò quod concubuerit cum aliis ſine imprægnatione, vel quod jam tum quadragenaria ſit, Gobat *exper. theol. tract. 10. n. 308.* Menoch. *lib. 8. conſil. 786. n. 12.* *Quartò*, ſi accedat notabilis deformitas, v. g. ſi naſus amputetur, oculus eruatur, vel ſurditas accedat, manus, vel pes amittatur, per *c. quemadmodum 25. de Jurejur.* Matth. Weſenbec. *ad lib. 23 ff. n. 7.* Patrit. Sporer *de matr. n. 217.* *Quintò*, ſi ſponſa ex pulcherrima citra membri mutilationem notabiliter deformis evadat. Sanchez *lib. 1. de matr. diſp. 27. n. 4.* Ferdinand. de Caſtropalao, *diſp. 2. de ſponſal. punct. 27. n. 5.* Quibus contradicit Covarr. *lib. 4. decret. p. 1. c. 5. n. 6.* Guttierez *de mat. c. 32. n. 5.*

ARTICULUS DECIMUS SEPTIMUS.

De diſſolutione ſponſalium, quæ oriri poteſt ex mutatione facta in bonis fortunæ.

QVæres I. Quænam mutationes in bonis fortunæ contingentes ſunt ſufficientes cauſæ ad diſſolvenda ſponſalia? *Reſp.* ſunt ſequentes. *Primò*, ſi ſponſa, aut parentes ſponſæ ob paupertatem ſubſecutam, vel ob æs alienum contractum promiſſam dotem præſtare nequeant, vel tabernam promiſſam ad opificium ſponſi ſpectantem dare recuſent: quippe promiſſio dotis eſt veluti conditio, quâ deficiente etiam citra ſponſæ culpam ceſſat ſponſalium obligatio. Layman *in Theol. mor. lib. 5. tr. 10. c. 1. n. 18.* Menoch. *de arbitr. lib. 5. caſ. 455. n. 6* König *ad tit. de ſponſal. n. 78.* Quod multò magis procedit, quando expreſſis verbis conditio hæc adjecta fuit, ſi tantùm, vel tot aureos mihi in dotem dederis, per *c. de illis 3. de condit. appoſ.* Imò idem dicendum, quando nulla dos conſtituta eſt, vel quando ſponſus ſive ſuo vitio, ſive infortunio facultatibus deficit, vel quando uterque in paupertatem incidit: cùm in promiſſione matrimonii ex parte utriuſque maximè attendatur ad patrimonium alterius, an amplum ſit, vel exiguum, ac ſufficiens ad matrimonii onera ſuſtentanda, & ut ait Gobat *exper. theol. tract. 10. n. 338.* in pactione nuptiali ſemper includitur promiſſio dotis, quando quis accepit ſponſam ignorans eſſe pauperem, ac proinde promiſſio illa ſub illo ſtatu divitiarum facta intelligitur, noſter Panormit. *in c. Quemadmodum 25. de Jurejur. n. 10.* Baſil. Pont. *lib. 12. c. 17. n. 8.* *Secundò*, Si alterutra pars ex deſponſatis ſit exhæredanda ob notabilem mutationem bonorum, Gobat, Pontius, Tamburinus, & alii. Hæc omnia tunc vera ſunt, ſi poſt talem ſupervenientem mutationem in bonis fortunæ & cognitam ſponſalia expreſſis verbis, aut ipſo facto, vel carnali copulâ non ſint ratificata, tunc enim pars, quæ poterat reſilire, jus reſiliendi videtur re- 98.

 miſiſſe,

miſiſſe, arg *L. ſi uxor* 13. §. *fin. ff. ad Leg. Jul. de Adult.* Patrit. Sporer *de matr. n.* 213. Guttierez *c.* 33. *n.* 9. Layman & alii.

99. *Quæres* 2. an ob notabilem mutationem in bonis fortunæ poſſit dari diſſolutio ſponſalium, ſi una pars ex ſponſis in eodem ſtatu permaneat, altera verò fiat notabiliter ditior, ac magni honores & dignitates ipſi accreſcant? *Reſp. Neg.* cum Ferdinando de Caſtropal. *diſp.* 2 *punct.* 29. *n.* 6. Bonac. *de matr. q.* 1. *punct.* 8. *n.* 13. Coninck *diſp.* 23. *dub.* 7. *n.* 69. noſt. König *ad tit. de ſponſal. n.* 78. Abſolutè tamen tali licere quærere aliam ſponſam parem, docet Hurtadus *diſp.* 2. *de matr. diff.* 25. Ochagavia, Leander, Trullenck apud Escobar *lib.* 24. *dub.* 79.

ARTICULUS DECIMUS OCTAVUS.

De illis, quibus competit facultas diſſolvendi ſponſalia.

100 QUæres 1. An ad diſſolvenda ſponſalia ob cauſas hactenus recenſitas Judicis Eccleſiaſtici ſententia accedere debeat, vel an deſponſati propriâ authoritate à ſe invicem diſcedere poſſint? *Reſp* cum noſtr. D. Engel *ad tit de ſponſal.* §. 3. *n.* 12. & König *ad tit. eund. n.* 80. Sponſos propriâ authoritate recedere poſſe à ſponſalibus quà publicis, quà privatis; niſi tamen obſtet aliquod Jus ſpeciale diæceſanum, vel provinciæ, ſic ſponſalia inita in Mechlinenſi & Conſtantienſi Diocæſi non ſolvuntur propriâ authoritate, teſte Gobat *exper. theol. tract.* 10 *à n.* 260. à publicis quidem, ſi cauſa diſſolutionis ſit notoria, & de Jure certa, ac expreſſa: à privatis autem, etſi cauſa ſit occulta, puta, ſi una aut altera pars fateatur ſuum defectum, vel unicus teſtis etiam non juratus, fide tamen dignus, vel ſi fama ferat hanc vel illam cauſam intercedere, quæ eſt ſufficiens ad diſſolvenda ſponſalia, Gobat *exper theol. tract.* 10. *n.* 378. modo juſta ſit & certa: habent enim ſponſalia imbibitam tacitam conditionem, *niſi juſta cauſa diſſolutionis intervenerit*; quâ proinde interveniente eo ipſo quaſi ceſſat obligatio ſponſalium, & conſequenter ſicut in aliis contractibus liber receſſus conceditur, Engel *loc. cit.* Sylveſter V *ſponſalia q.* 11 Navarr. *in ſumma c.* 22. *q* 28 & alii.

101 *Quæres* 2. An liceat propriâ authoritate ſponſalia diſſolvere, ſi de veritate vel ſufficientia cauſæ dubium ſit? *Reſp. Negat.* quia quilibet ſponſus vi contractûs ſponſalitii eſt in poſſeſſione juris acquiſiti, ut fiat, quod promiſſum eſt; in dubio autem nemini licet propriâ & privatâ authoritate alterum de poſſeſſione ſui juris deturbare, ſed ad hoc decidendum requiritur legitima juris & ordinarii authoritas, Sanchez *lib.* 1 *de matr. diſp.* 69. *n.* 8. Judex autem, cujus authoritate ſponſalia ſunt diſſolvenda, eſt ſolus Eccleſiaſticus, ordinarius vel delegatus, quia hæc materia eſt ſpiritualis, Sanchez *loc. cit. n.* 10. Pirrh. *ad eund. tit. n* 36.

102 *Quæres* 3. An ſi cauſa diſſolutionis ſponſalium ſit adhuc occulta, puta, ſponſæ fornicatio, legitimè in judicio poſſit detegi, ut ſponſalia diſſolvantur, cùm id ſit

grav.

gravi infamatione ſponſæ fieri nequeat? *Reſp.* cum Sanche *lib. de ſponſal. diſp.* 70. *n.* 2. non ſtatim cauſam ad Judicem deferendam eſſe, ſed priùs monendam eſſe ſponſam, ut deſiſtat, ut vel ſic infamiam devitet, ſi autem & illa adhuc nolit, adeundi ſunt parentes, vel alii viri pii, qui patrem vel ſponſam moneant, quod ſi tunc non deſiſtat, licitè talis fornicatio ad Judicem deferri poteſt. *Ratio eſt:* Tum quia licitum eſt detegere vitia teſtium occulta, quando id eſt medium neceſſarium ad juſtam defenſionem juxta omnes DD. tùm quia licitum eſt Judici denuntiare furem occultum ad vitandum damnum proximi ſecretâ monitione non proficiente: ergò à fortiori id licebit ad evitandum damnum proprium, ne cogatur ſponſus implere ſponſalia, quibus non aſtringitur.

PARERGA

Ex univerſo tractatu de Sacramentis in genere, & in ſpecie.

1. SAcramentum bene definitur: Eſt ſignum divinitùs inſtitutum, practicum ſenſibile ac permanens perfectæ ſanctitatis in ſuo uſu conferendæ. 2. In qua definitione Sacramenta novæ & veteris Legis univocè conveniunt. 3. Sacramenta novæ Legis ex rebus, ut materiâ, & verbis tanquam formâ intrinſecè conſtituuntur. 4. Error privatus miniſtri non obeſt valori Sacramenti, licèt etiam intendat novum ritum inducere in Eccleſiam. 5. Sacramenta N. L. ex opere operato non ponentibus obicem phyſicè conferunt gratiam, mortuorum quidem per ſe primam, per accidens verò ſecundam, vivorum autem per ſe ſecundam, & per accidens aliquando primam. 6. Gratia Sacramenti diſtinguitur à gratia communiter dicta per jus morale ad ſpecialia gratiæ actualis auxilia pro cujuſcunque Sacramenti fine conſequendo conducentia. 7. Tria Sacramenta, ſcilicet Baptiſmus, Confirmatio & Ordo imprimunt characterem ab intrinſeco ſecundùm Legem ordinariam indelebilem, pertinentem ad ſecundam ſpeciem qualitatis. 8. Ad valorem Sacramenti ſufficit intentio virtualis, non autem habitualis. 9. Baptismus eſt in re parvulis & rationis uſu carentibus neceſſitate medii neceſſarius ad ſalutem, adultis in re vel in voto. 10. Miniſter Confirmationis ordinarius eſt ſolus Epiſcopus, extraordinarius poteſt etiam eſſe ſimplex Sacerdos. 11. Sacramentum Eu-

chariſtiæ eſſentialiter & intrinſecè conſiſtit ſimul in ſpeciebus ſacramentalibus, Corpore & Sanguine Chriſti, & in verbis conſecrationis moraliter & virtualiter permanentibus. 12. Eſſentia formæ Calicis conſiſtit in ſolis his verbis: Hic eſt Calix Sanguinis mei. 13. Tranſubſtantiatio eſt actio effectivè unitiva Corporis & Sanguinis Chriſti cum ſpeciebus panis & vini. 14. Aqua in hoc Sacramento vino mixta non niſi mediatè per conſecrationem convertitur in Sanguinem Chriſti. 15. Eſſentia Sacrificii Miſſæ conſiſtit in ſola conſecratione. 16. Valor Sacrificii Miſſæ eſt infinitus quoad ſufficientiam, finitus verò quoad efficientiam. 17. Objectum ſeu motivum pœnitentiæ formale eſt expiabilitas proprii peccati. 18. Habitus pœnitentiæ non reperitur in Chriſto & Angelis, neque in peccatoribus. 19. Poſſunt adulto remitti peccata propria per abſolutam Dei potentiam abſque omni ſuo actu. 20. Implicat unum peccatum mortale remitti ſine alio in hoc ſtatu naturæ elevatæ. 21. Non poteſt Deus remittere peccatum quoad culpam, quin ſimul remittat reatum pœnæ æternæ. 22. Attritio ex metu gehennæ eſt honeſta, & laudabilis, eſtque intra Sacramentum ſufficiens diſpoſitio ad juſtificationem. 23. Non poteſt dari Sacramentum pœnitentiæ validum & informe. 24. Non eſt neceſſitas aut obligatio per ſe in confeſſione aperiendi circumſtantias notabiliter aggravantes intra eandem ſpeciem. 25. In errore communi cum titulo colorato ſupplet Eccleſia jurisdictionem etiam in foro interno pœnitentiæ, non autem ſine titulo. 26. Habens opinionem verè probabilem ac de ſua jurisdictione etiam extra caſum neceſſitatis validè & licitè confert abſolutionem ſacramentalem. 27. Datur in Eccleſia verum Sacramentum extremæ Unctionis. 28. Epiſcopatus eſt verum Sacramentum Ordinis, non tamen adæquatè diſtinctum ab Ordine Sacerdotii. 29. Matrimonium eſt Sacramentum N. L. etiam contractum inter abſentes Chriſtianos. 30. In terris, ubi Tridentinum eſt receptum, nullo caſu valet matrimonium ſine Parochi & teſtium præſentia contractum. 31. Parochus Catholicus licitè aſſiſtit matrimonio hæreticorum, ſi quos habeat in ſua parochia.